Am Schluß verbunden

JOHANNES THEODORI SPRENGERI,

Polonia Nov-Antiqua

Ex

ANTIQUIS ET NOVISSIMIS Poloniæ Scriptoribus excerpta, & moderrō turbato statui accomodata, naturam ingeniumq; terræ & populi Satis demonstrans.

FRANCOFVRTI,

Sumptibus GEORGI FICKWIRTHI

ANNO M.DC.LVI.

I.

Polonia qua occaſione ad Chriſtianiſmum per venerit.

MIECISLAUS I. Poſtquam ſeptem uxores more barbarico duxerat, cumq; de religione Chriſtiana aliquid per cepiſſet, illas dimiſit, ducta Dambrouca Chriſtiana Boleslai primi Bohemorum Ducis filia adhuc virgine, approbante toto conſilio, & ſic fœmina ſuſcipiendi Chriſtianiſmi polonis aurix fuit, ſicut etiam apud Gallos, quorum Regem Clodovæum uxor Clotildis primum fide Chriſtiana illuſtravit, ſic & Hedwigis Regina Polonię Jagellonem Ducem Lithuanorum ſuum maritum & omnes Lithuanos & Samogitas in Chriſtianiſmo primum informandos curavit.

Dictus Miezislaus postquam bene in fide informatus esset, baptizationẽ subiit, anno Christi 965. Sub hoc principe mos inolevit, ut Poloni equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat, quod evangelium prædicaturus sit, gladios mediotenus stringerent, quasi pro defensione fidei mortẽ potius oppetendam, quàm ab agnita veritate recedendum, indicare velint, choro autem respondente, gloria tibi domine rursus reconderent, *Salomo Neugebauer in histor. Polon. l. 3. in Miecislao.*

Mos stringendi gladii in Polonia.

II.

Sub Quo Rege Polonia ex ducatu in Regnum conversa fuerit.

PEtiit quidem primus diadema Regium à Benedicto VII. Pontifice Romano Miecislaus I. Sed obtinere id non potuit, donec filius Miecislai Boleslaus I. ab Ottone III. Imp. ex singulari Zelo reliquias Adalberti Pragensis Martyris Gnesnæ conditas visitante

tante à jurisdictione Imperii Romani immunis declarat⁹ Rex crearetur *Mylius in icon. in Boleslao. I.*

III.

Videtur Regnum Polonorum successivum fuisse.

QUOD illud regnum videatur successivum fuisse, exinde colligi posset, primo, quia annales produnt Miecislao I. Boleslaum filium successisse, nec ibi ulla electionis mentio fit. Secundò, quod Boleslaus IV. testamento Lescum filium suum pro Rege declaraverit, quod in electitiis principatibus fieri non consuevit utpote in quibus libera suffragia excludunt vim paterni testamenti. Quod ex post facto electitium evaserit, nullus dubitat, et quod adhuc tale sit, nemini obscurum est, vere tamẽ electitium non est, tum quod ex historia Polonica sæpius observetur, impuberes & minoreñes, pro Regibus assumptos, illisq; aliquoties matres, aliquoties agnatos pro tutoribus assignatos, prout in successivis

principatibus & inprimis in Gallia hodie fieri solet; Sic An. Chri. 1059. Boleslaus II. cognom. audax Casimiri I. R. P. filius maximus anno decimo sexto regno inauguratus est: Año. Ch. 1174. Miecislaus III. puer princeps Poloniæ electus legitur. Año Ch. 1195. Lescus albus impubes ad coronam vocatur, administratione regni interim Helenæ matri ejus concredita. Boleslaus V. filius Lesci Albi an. Christi 1227. puer septẽ annorum ad regnum Polonicum pervenit, de cujus tutelæ controversia oriebatur inter Conradum patruum ejus, & Henricum Barbatum Vratislaviensem ducem. Item aõ. 1041. Casimirus I. Miecislai I. filius pro principe constituebatur relicta penes matrem ejus Richsa usq; ad majorem principis ætatem regia potestate *Neugeb. in icon. princ. polon.* Et cum sub Vladislao. III. dubium oboriebatur de coronatione Regis, an ad pubertatem esset differenda propter Regis juramentum quod præstare debet, tandem coronandum etiam impuberem Regem esse ex communi sententia

tia placuit, sed juramentum usque ad pubertatem differendum.

Tum quod in electione Poloni maximè ad Regum liberos & familiam respiciant, ex qua quamdiu quis superest, non facile aliorum imperium exoptant. Dum ex Piastæa familia quę in Casimiro Magno R. P. an. 1370. expiravit, quis superfuit, & dum Jagellonica stirps utpote in Sigismundo II. dicto Augusto año 1572. masculos dedit, regnum aliis delatum non fuit, & licet ex utraq; familia extincti fuerint masculi, adhuc ad fæminas ex illa familia descendentes respexerunt. Sic Hedwigis filia Ludov. Vngari, Regis Poloniæ ex nulla alia consideratione adhuc vivente patre Regina Polonię designabatur, quam quod ex Piastæa familia descenderet. Post excessum mortalem Sigismundi Augusti illius soror Aña virgo jam firmæ ætatis Regina declaratur eiq; Stephanus Bathoreus Transylvaniæ Palatinus pro marito destinatur. Quod Sigismundus III. Johannis Regis Sueciæ filius sceptro Polonico decoratus fuerit, inter

 alias

alias rationes non minima caussa est, quod illius mater Catharina Jagellonica Sigismundi I. R. P. filia, & Sigismundi II. Soror fuerit. Non statim censeas, quod ubi regnum electitium est, illud omnino liberum sit, aliquando ad stemma & familiam respicitur, exemplo nobis Dania sit, ubi nullum in Regem nisi ex Comitum Oldenburgensiũ familia natũ eligi moris est. Quid de nostra Germania dicemus, ibi licet electio liberrima sit, sicut omnes Imperatores in capitulatione à tempore Caroli V. semper confessi sunt, & confiteri tenentur, familiæ tamen Austriacæ, utpote quæ jam à Rudolfo Habspurgico quatuordecim dedit imperatores & Reges, tum ob singularia illius in imperium merita, tum ob singularem clementiam, tum ob potentiam, & alia quæ possidet regna & provincias, in electione potissima habetur ratio. Si magna liceat componere parvis, patet omnibus, quod ecclesiastica dignitas nullam familię patiatur restrictionẽ, sed omnibus virtuosis aditum præbeat per, *c. venerabilis, de præbend.* epi-

episcopatus tamen Osnabrugensis ex instrumento pacis Suecico ita ad descendentes ex familia Domini Georgii Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis est restrictus, ut capitulum per alternativam succesionem inter Catholicos Episcopos & Augustanæ fidei addictos nullum nisi ex dicta familia natum episcopum vel eligere vel postulare possit, punct. 12. instr. Suec. ibi quarto, *defuncto eodem Domino Episcopo*, quod solum illa occasione hîc allego, quod quis exinde videat, electionem aliquoties ad familiam restrictam esse.

Dixi supra, quod regnum Polonicum olim successivum fuisse videatur quam opinionem firmat facta à Regibus terrarum Polonicarum inter filios & fratres distributio: Boleslaus III. R. P. talem inter suos filios partitionem fecit, Vladislao II. cum regni administratione tractum Cracoviensem, Siradiensem, Lenciciensem & Silesiam, Boleslao Masoviam, Cujaviam, Culmensem & Dobrinensem provinciam cum Calissiensi tractu & Pomerania

 cite-

citeriore, Henrico Sendomiriam, & Lublinum, Casimiro alimenta ab Vladislao primogenito subministrāda assignavit. Qua tamē divisione Vladislaus non contentus fratribus sua eripere, illisq; certos è fisco reditus assignare conatus est, sed dum aliis inhiat, propria perdit. Lescus Albus R. P. Masoviam & Cujaviam Conrado fratri in sortem patrimonii concessit, à quo Conrado Masoviæ principes descenderunt.

IV.

De electione & quo plerunq; eligentium vota in Polonia colliment.

APpellatur Regnum Poloniæ quidem electitium, sed tamen Poloni in omni electione maximā familiæ, ubi quis ex illa superest, rationem habēt, sicut in Piastæa & Jagellonica stirpe satis docuerunt: Hoc etiam Regibus Poloniæ semper solenne fuit, ut filios suos introducendos & designandos curarent, sicut fecit Sigismundus I. R. P. qui in Comitiis Petricoviæ habitis filio suo Sigis. Augusto habenas

regni Pol. assignandas procuravit. Fit autē electio tali modo: Postquam conclusum fuit post fata Stephani Regis Poloniæ in Comitiis Warsaviæ anno 1587. habitis, quod electio Regis omniū statuum consensu perageretur, hodie electio Regis expeditur per omnes nobiles tam Polonos quam Lithuanos, oratores provinciarum, & quasdam civitates, utpote Cracoviam & Dantiscum. Excluduntur Prussi & Curlandi, nec illorum duces, licet sæpius petierint, suffragium in electione Regis habent. Propter maximum eligentium numerum illa plerunq; in Campo sub tentoriis habetur, sicut Henrici Valesii electio celebrata fuit, ad quam triginta quinque millia nobilum comparuerūt, & adhuc plures expectabantur. Electionem ab invocatione nominis ordiuntur, postea juxta majora procedunt, per majora electum Marescalli proclamant, electio conclusa per Senatores regni cōfirmatur, & de super electionis decretum scriptura comprehenditur, quod ab Episcopis, Palatinis & Castellanis signa-

gnatur: Ab electo juramentum servandarum conditionum postulant, inter quas præcipua etiam est servanda libertas Evangelica cujus abolitioni Episcopi Poloniæ semper studuerunt, Pendente electione nulli extraneo legato, ad evitandas corruptiones regnũ intrare licet. Electus Rex coronatur, ut & Regina modo Catholicæ religionis sit, secus hæc ceremonia cessat, prout exemplum Helenæ Johannis Moscorum Principis filiæ conjugis Alexandri IV. R. P. docet, cui ut Græcæ Religioni addictæ diadema impositũ non est. Vota eligentium communiter eò collimant, 1. ut exterus sit, qui bonis reditibus gaudet, uti id Polonis in electione Henrici Valesii majorem fiduciam dedit, quod ille in añuis reditibus quatuor centum millia, florenorum possideret. Solent etiam per exterorũ electionem provincias & principatus aucupari, sicuti per Jagellonis electionẽ Lithuaniam & Samogitiam Poloniæ adjecerunt. Sic Johannes Albertus filius Casimiri Regis Alexandro Lithuaniæ duci prælatus est, quod ille

ille Silesiam ab Vladislao fratre pacto promissam haberet cum spe regni Vngarici: Et cum post mortem dicti Johannis Alberti R. P. nominatus Alexander Rex Polonię crearetur, alii magis in illius fratrem Vngariæ & Bohemiæ Regem propendebant, ideo quod accessione horum regnorum Polonia augeri posset, ad quod tamen ab aliis responsum fuit, non expedire polonis tam propter inquieta Vngarorum ingenia, quam propter bella Turcica quibus Vngaria implicita esset, & sic Regem semper præsentem desideraret unum eundemq; cum illis habere Regem. Sic exteros amant cum suo commodo à qua tamen sententia in electione Henrici Valesii & Sigismundi Tertii ferè recessissent, ubi per exterorum imperium privatum solum illorum commodum promoveri, & peregrinos officiales domesticis, sicut in regimine Stephani Regis Poloniæ Vngari omnibus aliis prærogativam præripuissent, præponi asserebãt, sed tamen & hoc discusso dubio in supra memorata vulgari sententia accersendi ex-

di exteri permanserunt. Thuan. hist. lib. 56.

II. Vt eligendus ingenio & religione cum Polonis correspondeat, hinc Mosci ambitum sæpius rejecerunt, quod ille ingenio, moribus, & in primis religione utpote qui græcus est à Polonis differret. Et interest omnibus Catholicis, ut Rex in Polonia Catholicus eligatur, hinc Sixtus V. Pontif. antequam Sigismundus III. regno Poloniæ inauguraretur, Polonos per Hannibalem Capuanum Archiep. Neapolitan. de recipiendo bono Catholico admonuit.

III. Nec hos principes amant, qui bello Turcico sunt impliciti, licet enim Poloni cum Turcis sæpius bellum mox prosperum mox infortunatum gesserint, in electione tamen Regis, & ubi cum Turca pacate vivunt, ab illius reassumptione maximè sibi cavent, Hinc Henrici Valesii desiderium Ernesti Archiducis Austriæ petito ratione obtinendi regni Polonici præpositum legimus, Quod Galli cum Turca in perpetua amicitia vivant contra Austri-

striaci ab infestatione Turcica non plane securi sint.

IV. Et etiam respiciunt, quo quendam eligant, qui varias Poloniæ religines æquo animo ferre didicit, inter alias rationes, quæ Henricum Valesium Ernesto Archiduci Austriæ Maximiliani II. Imp. filio præposuerunt, hæc non minima fuit, quod Serenissimæ Austriacæ domui unius religionis cultura cum extirpatione reliquarũ cordi & curæ sit, Galli vero diversitati religionum in Gallia tolerandæ jam assueti sint:

V. Inter omnia alia præsentem etiam Regem postulant, utpote cujus absentiam regno damnosam judicant uti jura Ecclesiastica Clericum extra suam ecclesiám residentem beneficio privant, t.t. De cleric. in eccles. non resident. Sic & Poloni absentem extra regnum Regem rejiciunt. Hinc cum Vladislaus Vngariæ & Poloniæ Rex apud Vngaros quàm apud Polonos habitare maluit, primò administratione matri commissa, deinde Vladislao Opoliensi duci, quod Rex se auram

tam Polonicam ferre non posse firmiter assereret, Vicario Poloniæ constituto, Poloni se homini, quem Regem non elegissent, parituros esse negarũt; Regis sui præsentiam postulantes. Similiter quod apud Suecos Sigismundus III. R. P. moderni Regis Poloniæ pater Johannis Regis Suecię filius post fata patris habitare noluit & filium suum Vladislaum ad illos mittere recusavit, illi illius imperio abrogato patruum illius Carolum ad sceptrum Sueciæ vocarunt. Henricus III. Rex Poloniæ postea Galliæ, quod clam relicto Poloniæ regno post fata fratris Caroli IX. Regis Galliæ, avitum regnum petiit, hæc caussa est, quod nõ ignoravit, difficilimè duo gubernari regna posse quorum utrumq; præsentem Regem efflagitat.

VI. Lingue etiam Polonicæ cognitionem requirunt, quod valde in Sigismundo Tertio ex Suecia vocato laudatum, quod, tam linguam Polonicam calleret.

Omnia fere memorata requisita in Suecis invẽirent si & illi Romano-Catho-

tholicæ religioni addicti essent, Si Suecus Catholicus esset, nullus Poloniæ melior Rex tam propter viciniæ quam portuum commoditatem exoptari posset, Thuan. hist. lib. 88. p (m) 714. Hinc Sigismundus III. Iohannis Regis Sueciæ filius ex Suecia vocatus, Rex Poloniæ creabatur potens enim & vicinus erat, & quod maximè admirandum à patre Lutherano in Catholica educatus religione, Thuan hist. l. 104. p(m)1099.

V.

De Coronatione.

SOlenne hoc est in Polonia, ut prius usquam electus Rex confirmetur, conditiones à Statibus propositas jure jurando firmare teneatur, sicuti fecit præter multos alios Henricus III. qui antequam ingrederetur Poloniam, in Gallia conditiones se servaturum sanctè promisit.

Solenne item est commemorante Thuano ut nunquam Rex coronetur nisi prius defunctus terrę mandatus sit, Cujus tamen contrarium in Ludovico

Vngaro P. R. observatum fuit ão 1371. qui cum coronatus fuit ab Archiepis. Gnesnensi exequias post demũ avunculo Casimiro Magno sumptuosas fecit.

Solenne item est ut Cracoviæ peragatur coronatio quod tamen antiquitus ita strictè non observatum fuit, sic Vladislaus Jagellonides filius Jagellonis anno 1434. Posnaniæ coronatus fuit.

Et postquam coronatio peracta sequenti die Rex Castellano Cracoviensi de more coronam Palatino sceptrũ Posnaniensi pomum & Sandomiriensi Palatinis gladium præferentibus in forum Cracoviensi ad accipiendum à civibus Cracoviensibus descendit.

Belliecislaus secundus, primus Rex ab Archiepiscopo Gnesnensi diademade Regio ornatus est, Neugebauer in hist. pol. l. 3. in ni Miecisl. II.

VI.

Incrementum Poloniæ.

Boleslaus primus, Rex Pol. Bohemos & Moravos Poloniam invadentes debellavit, & regno Poloniæ tributarios fecit. Janomirum Ducem Russiæ tribus prælijs superavit, Kiovia subacta, orã illam quam Saxones proditione ducis Tuguniori Principibus Polonici adimerant, recuperavit Misnam Hildeshemium & Megalopolim incendio delevit, Vinedas & omnem regionem ad Albim & Salam sitam in potestatem suam redegit. Mylius in icon. Pol. princ. in Bogisl. I. sed hæc ad suos antiquos Dominos redijt.

Moraviam rursus rebellantem Miecislaus II. R. Pol. subegit, fudit hic Pomeranos & Belam ob singularem in bello Pomeranico navatam operam generum adoptavit, illiq; Pomeraniam in dotem dedit: Boleslaus III. an. Ch. 1103. Rex Pol. creatus bello Pomeranis Belgradum, Colbergam Caminũ, Velinum, Coslinum & alia plura oppida extorsit, quę omnia juxta vicissitudinem *rerum à Polonis* rursus abierunt. *Pomerania.* *Pomerania.*

Casimirus. I. qui circa añ. 1041. regnum adeptus est, Maslao Masoviæ tyranno capto & strangulato primus *Masovia.*

Masoviam cujus Metropolis Warsavia modernis Comitiis deputata est, obtinuit. Neugebauer in iconib.

Olim quidem Conventus regni Petricoviæ habiti sunt, sed cum illa Civitas postquam Lituani ad Poloniam accesserunt, ab illis nimis dissita esset, in gratiam Littuanorum Warsovia peragendis Comitiis destinata est.

Accessit Masovia sub Casimiro Magno R.P. ad societatem Poloniæ, à qua per tempus aliquod separata fuit, Ziemovito Masoviæ Duce Regē Poloniæ pro superiori recognoscente.

De hec provincia Johannes Albertus R.P. añ. 1495. cum Conrado fratre suo Duce Masoviæ ita transegit, ut is Czirnense territorium in feudum masculeum sempiternum pro posteris suis à Polonia recognosceret, cōtra quosvis hostes suppetias ferret, citra Regis consilium nec subditis pecuniam exigat, nec fœdus cum alio ineat, Lublini juramentū præstet, cæteras verò Masovię partes quamdiu viveret, haberet, post obitū ad regnū redirent. Neugebauer in hist. Pol. in d.R. quod tamen non

non servatum post obitum Conradi Masoviæ ducis, Anna vidua renitente quod Rex Albertus facilè passus est, ita pactus quod deficientibus masculis demum Masovia ad regnum rediret, interim pueris viventibus concessa, & habuit Masovia suos speciales Duces Poloniæ Vasallos donec Janussius & Stanislaus fratres Masoviæ Duces postremi ex antiqua Regum Polonię stirpe prosati an. 1526. sine liberis decesserunt, post quorum obitū Sigismundus I. R. P. Masoviæ ducatum ad regnum poloniæ ex pactis & jure feudi devolutum titulo regio corpori inseruit. Est vero Masovia optima & potens provincia, tenet quinque & quadraginta millia equestrium familiarum, quarum quælibet si unum virum præberet, quantus exinde numerus, & sunt inter has familias quæ totas turmas sufficienter alere possunt: Est etiam Valeria familia sobole tam fæcunda, ut ad duo millia familiarum accedat, testante Starovolscio in sua Polonia, p. (m) 64.

Johannes Albertus R. P. an. 1495.

 tra-

Tractus Plocensis. tractum Plocensem cum Janussius Plocensium dux cælebs ex hac vita migrasset, Jure feudi ad regnum revolutum regno rejunxit, quem primus Boleslaus II. an. Ch. 1059. rebellibus Russis, cum ab Izaslao Russiæ principe suo domino defecerant, jure armorum sub Poloniæ imperium redegit.

Halicia. Dacatus Haliciæ a Lesco Haliciensi duce Casimiro II. R. P. qui circa annũ 1202. regnavit testamento legatus, ex favorabili caussa Poloniæ accessit.

Oviecensis & Zatoriensis ducatus. Osviecensis ducatus añ. Ch. 1454. sub Casimiro III. ad Polonos jure armorum pervenit, & Zatoriensis ducatus sub Sigismundo I. aõ. 1548. Janussio Duce illius à Miscovio interfecto ex fœdere successionis Poloniæ incorporatus est. Sitæ autem sunt hæ provinciæ inter Vistulam fluvium & Carpasthum montem, ab Occidente contingunt Silesiam, à meridie Hungariam, ab Oriente & Septentrione reliquam Poloniam. Matth. Quardus in Geograph. l. 3. c. 31.

Russia. Boleslaus II. R. P. ad bellum Russicum in gratiam Izaslai Russiæ principis

pis

pis à Kiovensibus suis pulsi se parat, qua occasione Kioviam jure belli, subegit, item Premisliensi tractu potitus est, dũ Premisliam urbem cum arce munita deditione cepit, & sic beneficio armorum Russiam sibi & regno vectigalem fecit, Izaslaum summæ rerum præposuit, qui filios suos, Stopolcum Polocensibus & Novogardis, Vuladimirum Smolensciis, Iaropolcum Vissegradensibus præfecit. Et sic Boleslai armis subacta Russia meridionalis mansit per spatium temporis in fide & clientela Regum Poloniæ, sed pedetentim jugum excussit, arrepto tempore, quo Polonia intestinis bellis affligebatur, sic in illa rebellione mansit, usq; dum mascula progenies Danielis Russiæ ducis defecerat, cumq; Lubartus Gedimini Lithuanorum Ducis filius cum Vladimiriensium Ducis filiam uxorem duxisset ad Russiæ imperium aspirare vellet, Casimirus Magnus alias Tertius R. P. Vladislai R. filius inter Reges Poloniæ ex Piastæa familia ultimus qui circa annum 1333. regnum moderari incepit, observato justo tempore ad

 rep-

repetendam Russiam subita suscepta expeditione Leopolim cum toto ducatu & omnibus ejus oræ munitionibus ut premislia, Sanoco, Halicia, Treboulia, Lubassovia, & Tustano sui juris fecit, in provinciæ formam redegit, & Russos eodem cum Polonis jure esse jussit.

Neugebauer in hist. Polon. in Casimiro Magno. & deinde ab Vrbano V. Pontif. obtinuit, ut Leopoli quę Russię caput est, Cathedra metropolitana erigeretur.

Dividit Starovolscius in sua Polonia Russiam meridionalem in Russiam albam & Russiam Rubram illam, utpote quæ civitates Novogrod, Minscum, Ploscum, Vitebscum & Smolenscum tenet, ad Lithuaniam refert, Russiam vero rubram alias Roxolaniam dictã, cujus caput Leopolis est, Polonico nomini tribuit.

Volynia. Volyniam jam ante à Boleslao II. R.P. subactam sed rursus successu temporis à Polonia separatam, ut & Podoliam cum Belsensi ac Brestensi tractu Casimirus Magnus alias Tertius R. P. aruis

armis suo regno adjecit, illarum terrarum subditis cum Polonis ratione jurium & privilegiorum exęquatis, quam exęquationem confirmavit Vladislaus Jagellonides añ. 1434. Cum dictus Vladislaus. Jagellonides in Polonia regeret, illiusq; frater Casimirus Lithuaniæ ducatu potiretur, postularunt à Polonis Lithuani, ut Podoliam & Volhyniã ut magni Lithuaniæ ducatus partes nõ Polon. sed Lithuanico nomine honorarent, quod petitum ante coronationem Sigismundi III. R. P. reiterarunt, sed hoc responsum Lithuani tulerunt, Podoliam & Volhyniam Tartaris extortã, Camenecia, Chocimo, Cieciuno, Miedzibozo arcibus munitam, à Ludovico R. possessam ad Jagellonem Regem Poloniæ & Magnum Lithuaniæ ducem una cum Polonia pervenisse, ab eo Suidrigelloni fratri & tandem Vitoldo concessam, jure feudi post mortem dicti Vitoldi ad Poloniam rediisse, & sic non Lithuaniæ sed Polonię membrum esse.

Fraustadiense Fraustadiense territorium à Saganense duce Henrico, ab Henrico Glo-

territorium. goviæ duce à Polonia avulsum, bello recuperavit Casimirus Magnus.

Lithuania. Gens Lithuana à sui imperii primordiis speciales & obscuros primum habuit duces, Russis tributarios, à quibus princeps Kiovensis Russiæ quondam monarcha periomata abegestatem & soli sterilitatem in signum subjectionis exegit, Fuit hæc gens Russiæ tributaria, usq; dum Gediminus an. Ch. 1300. bello cōtra Russos gesto non solum Lithuaniam suam ab imperio illorum & tributo liberam fecit, sed & Russis profligatis totum Kioviæ principatum cū severia & Volhynia occupavit, sic facili negotio totius Russię, Severię & Volhynię princeps factus.

Primus inter Lithuanos duces fuit Borcus Russię tributarius, primus vero qui magni ducis titulum assumpsit, recensetur ab Alexandro Guagnino in hist. Polon. tom. 1. dictus Gediminus.

Titulum vero illum non à superiore (uti Cosmus & Franciscus Magni ducatus Toscanæ à Pio V. Pontif. & Maximiliano Imp. appellationem obtinuerunt, Thuan. hist. l. 60. p (m) 1698.) acceperunt, sed ex propria arrogantia uti & duces Moscoviæ assumpserunt, & hucusq; tam ante quam post conjunctionem Polonię, continuarunt, Gediminus verò uti supra dixi primus tituli illius usurpator fuit, errat itaq; author Archontolegiæ Cosmicæ in descript. Poloniæ quod Mindog primum Magnum Ducem constituat, verum quidē est, quod ille misso ad Innocentium Quartum Pontificem legato an. 1252. fidem Christianam quam tamen sub eodem anno rursus deseruit, primus inter Duces Lithuaniæ susceperit, quod vero Magnus Lithuaniæ dux appellatus fuerit, in illius vita non invenio.

Fuit ille ducatus semper hæreditarius, & primogenito semper collatus, quod *Guagninus* testatur, dum refert, quod Narimundus secundum prærogativam nativitatis in magno ducatu Lithua. omnibus suis fratribus præpositus fuerit, qui Narimuntus primus author agnoscitur, insignii Lithuanici viri videlicet armati equo albo insidentis, gladium extensum super caput tenentis

tis, in modum perſequentis fugientes.

Fuerunt Lithuani ſemper infenſisſimi Polonis, quos ſæpius bello adorti ſunt, donec Anna filia Gedimini principis Lithuanorum duci Caſimiro filio Vladislai Regis Poloniæ in conjugem data, & ſic utraque gens hac affinitate fœdere conjuncta fuit.

Ea vero occaſione Lithuania ad regnũ Poloniæ venit, Hedwigis nimirũ Ludovici Vngari filia, cum ea conditione Regina Poloniæ creata eſſet an. Ch. 1384. ut de ordinum conſenſu nuberet, jam antea Wilhelmo Archiduci Auſtriæ ſub ducentorum millium florenorum pactione, ni pactis ſtetur, deſponſata, fractis primis Sponſalibus in nuptias Jagellonis Magni Lithuaniæ Ducis conceſſit, ea lege, ut Jagello Chriſtianam religionem amplecteretur & Lithuania cum Samogitia, & ea parte Ruſſiæ quam tum princeps tenebat, inſeparabili jure Coronæ Polonicæ annecteretur, nec in perpetuum ab ea rurſus avelleretur, utraq; impleta conditione Jagello accepta Hedwige

ge in matrimonium ab Archiepiſcopo Gneſnenſi diademate regio inſignit⁹, ſequenti die pro more à Cracovienſibus juramentum exegit, Nobilitate Lithuanica illa nimirum quę Chriſtum coleret, cum Polonica æqui juris fecit, Vilnæ, quæ Lithuaniæ metropolis eſt, baſilicam ædificavit, ſeptem parochiis conſtitutis & ditatis. Acceſſit tum quidem Lithuania ad Poloniam, ſed tamẽ adhuc à diverſis regebantur principibus, nec qui Rex Poloniæ erat, ſtatim etiam Ducatu Lithuaniæ potiebatur. Dictus Jagello R. P. poſt baptizatos Lithuanos Skergelonem fratrem pro ſe magno Lithuaniæ ducatu inveſtivit, qui cum rerum ſumma detnrbaretur, Vitoldus an. 1392. à patruele Rege Poloniæ Lithuanis præficitur magno ducatu ſolenniter inveſtitus, poſt cujus mortem redit ad ducatum Suidrigelo conſenſu fratris Jagellouis R. P. expellitur Suidrigelo, cui ſubſtituitur Sigismundus Keiſtuti principis Lithuaniæ filius, dux Stanodubenſis, Regis Jagellonis patruelis. moritur interim Jagello, necatur Sigismundus, & poſthune

hunc magnus Lithuaniæ ducatus ad ſecundogenitos Regnũ Poloniæ translatus eſt. Fit Magni ducatus Lithuaniæ princeps Caſimirus Jagellonides, frater Vladislai Jagellonidis R. P. ſecundogenitus Jagellonis Regis Pol. dum dictus Vladislaus regno Poloniæ potiretur. Cum Caſimirus Vladislao fratri in regno ſuccederet, Alexandro quartogenito filio Lithuaniam dedit, cujus frater Johannes Albertus Caſimiro Regi in Polonia ſucceſſit, Johannes Albertus dictum Alexandrum ſucceſſorem regni reliquit, qui regnum Poloniæ una cum magno ducatu ad Sigismundum I. fratrem tranſmiſit, in quo demum Lithuania vere conjuncta cum Polonia deinde unum eundemq; rectorem invenit.

Lithuani illam à Jagellone factam unionem ſub Rege Vladiſlao illius filio reſcindere conati ſunt, poſtularũt à Polonis ut caput unionis tolleretur, ſe fœderatos non ſubditos eſſe velle, ſed hoc ab illis reſponſum tulere, expedire Lithuanis illam unionem, per quam miſera provincia æqualia cum Polo-

Polonis privilegia impetraſſet. Ex quo colligimus quod Lithuani Polonorum Imperium non amaverint, & res ipſa hodie loquitur, in moderno enim bello primi illi fere fuerunt, qui à Polonorum Imperio ſeparati, ſe Suecis dederunt Carolo Guſtavo Sueciæ Regi homagiio præſtito. Miſera hodie Lithuania eſt, quod in varias partes ſciſſa, partim Suecis partim Moſcis, partim Tartaris obedire cogatur.

Præcipui Lithuaniæ ſtatus ſunt Radzivilli, qui adhuc Principes Imperii ſalutantur, ſunt vaſalli Poloniæ, poſſident in Lithuania Neſvíciam reſidentiã ducum, Slukum quod ſuos habuit ſpeciales duces, quibus è mortuis illud in familiam Ducum Radevillorum venit: Poſſident etiam in Polonia Minore in Palatinatu Sendominienſi comitatum Sidloveciam, item in Volhynia Olykam, Academia bonorum artium illuſtrem. Fuit ex his Cardinalis & Epiſcopus Cracovienſis Georgius Razevilius. Origo Razievilorum hæc à Guagnino in hiſt. polon. tom. I. deſcribitur:

Gedi-

Gediminus Dux Lithuaniæ qui vixit circa annum 1300. Singulare habuit somnium de lupo ferreo rugiente, in ventre alii centum lupi rugiebant, experre factus somnium suum aulicis exponit, quod variis variè exponentibus Ledziecko sacerdos ejus gentilis augur (quem in nido, aquilæ dicunt repertum) ita somnium exposuit, lupum ferreum urbem fortē significare, lupos vero in eo rugientes multitudinem populi portendere, suasit itaque Duci ut ad Viliam fluvium civitatem & arcem conderet, postea Vilnam dictā, res successit, & ob bonum successum dictus sacerdos Radevil (quod bonū consiliarium Vilnæ ædificandæ significat) vocatus est, à quo Generosi illi heroes Razevilii descendunt.

Prussia. Censent quidam, quod Prussi primum sub Sigismundo I. R. P. Polonis juraverint, Alberto Marchione Brandenburgensi Magisterium Prussiæ in ducatum mutante, sed non ita est, jam dudum antè Prussi à Polonis bello victi illis juramentum fidelitatis præstiterunt, uti fecerunt sub Jagellone Casimi-

simiro Jagellonide R. P. & hujus filio Alexandro R. P. Et quidem Jagelloni nobilitas Prussica cum Episcopis suis primum se submisit, ut & Casimiro an. 1448. Prussicæ civitates cum tota nobilitate crucigerorum injuriis comoti jurarunt, se & omnem Prussiam regno Poloniæ subjiciendo, inde cum crucigeris bellum exarsit, in quo Poloni superiores illis pacis leges præscripserunt, & Henricum Plavenium cruciferorum Magistrum eo adegerunt, ut anno 1468. fidelitatis juramentum Casimiro Jagellonidis Regi Pol. præstare teneretur, & sic Albertus Marchio Brandeburgensis primus quidem fuit, qui à Sigismundo I. Prussiam in formam feudi ducalis masculei perpetui accepit, sed non, qui primus fidelitatem Poloniæ præstitit. Et cum jam Crucigeri per aliquot annos Regibus Poloniæ juramentū præstitissent, Fridericus Dux Saxoniæ ordinis Magister fidelitatem Sigismundo I. R. P. recusavit, & pro majori securitate relicta Prussia Rochlicium in Misnia itum secessit, moritur hic aṅ 1510. cui succedit

in magisterio Albertus Marchio Brandeburg. qui cum in simili contumacia ratione pręstandi hommagii perseveraret, illud magisterium feudum Imp. non Pol. firmiter asseren. à Rege Pol. bello infestatus à quibusdã Germaniæ principibus auxilia petiit, quæ cũ impetrasset, aliquoties cum Pol. conflixit, sed victus tandem supplex pacem petere cogebatur, facta cum Rege Pol. transactione, ut Albert. Marchio Brandeburgensi: abolito omni magisterio posthac Prussiam à Rege & Regno Pol. ut feudum perpetuum Masculeum pro se, hæredibus & fratribus recognoscere, item in Prussia Particulare consilium è quidem ex indigenis Prussis constitui, omnia officia & præfecturæ solis Prussis & non Pol. vel aliis externis cõcedi, Epis. Prussiæ regalia sua in primis de nõ appel. in concussa manere, Prin. Prussiæ prox. à Rege locũ in comitiis Prussicis & aliis congressibus publicis occupare, nihil inconscio Rege de Prussia alienare, in expeditionib⁹ cum centum equitibus hostatis usq; ad fines Prussiæ militare, extra fines regio sumptu frui, dissidia inter Regem & Ducem exorta vel exoritura à cõsiliariis ęquis judiciis obstrictis Marię-

burgi aut Elbingæ dijudicari, Episcopo Varmiens. proventus à subditis Ducis Prussiæ pendi soliti imposterum etiam pendi, nobiles aliiq; Cives Ducem conventuri coram Ducis vasallis jus suum persequi, & ab illis ad Consiliarios Regis & Ducis Mariæburgi cõstitutos appellari, & deniq; nulla nova vectigalia citra Regis & Ducis mutuum consensum institui debeant, & sic Prussia ex magisterio in ducatum mutata regni Poloniæ membrum factum, postulavit quidem dictus Albertus sub Sigismundo I. R. P. ut etiã suffragium in electione Regis & Comitiis haberet, sed illi responsum fuit à statib⁹ regni, quod principes illius juris in ea pacis sint in Polonia, & nulli nisi nobili ad illud aditus pateat, reiteratum illud petitum ab Electore Brandeburgensi sub Sigismundo tertio R. P. sed frustra, renitentibus Polonis, & sic Dux Prussiæ ut & Curlandiæ sunt vasalli Poloniæ, sed non status, cum votum in comitiis non habeant, & videatur respectu hujus Gedano deterioris conditionis esse, cum illa civitas liberum in electione

Regis habeat suffragium. Prussia nobilis & commodis maris Balthici portibus & commerciis illustris antequam in Polonorum potestatem venerat, semper illis sudes in oculis fuit, & sæpius relictis domi rebus suis & posthabito turbato domestico statu prout factum sub Sigismundo I. R. P. eum undiq; & Tartaris fortibus cingeretur, de subigenda Prussia solum cogitarunt & in illum finem omnes vines congesserunt, & ubi Rex Poloniæ Prussia privaretur, nullis amplius portibus gauderet, & ratione rei nauticę maximum pateretur defectum. E contra Sueci, cum jam ab antiquo & ex quadā eum Maxmiliano I. imp. facta transactione in dominium maris Balthici prætendant, Prussiam etiam ambiunt, considerantes non solum vectigalium utilitatem, quam Prussia suppeditare posset, verum & quod jam Livoniæ, Pomeraniæ, insulis Oesel, Gotland, & Oeland, ut & vicino regno Suecico imperantes postea in circulo omnia possiderent, ex coadunitatione territorij postea vicinis suis tam terra quam mari eo

ri eo

ri eo magis formidabiles, & nihil postea amplius quam angustia maris Balthici quam Danus possidet re staret ad complendum perfectum imperium, & observamus ex induciis inter Sigismundum III. R. P. & Gustavum Adolphum Regem Sueciæ Anno 1628. primum conclusis, quod Sueci eo semper respexerint, ne Polonus naves armatas in portu Gedanensi teneret, pro ut hic etiam articulus induciis incertus legitur. Hodie Prussia ducalis, cujus caput Regiomontum est, Casimiro R. P. à Carolo Gustavo Rege Sueciæ regno vi belli erecto, ab Electore Brandeburgensi à Rege & Regno Sueciæ jure feudi recognoscitur, sub cōditione recognitionis añuæ 40000. thalenorum, adjecta etiā hac lege, ut durante moderno bello Polonico Dux Prussiæ ut vasallus Sueciæ exercitui Regis 4000, milites propriis sumptibus lectos & alendos adjiciat, cui e contra in allodium Palatinatus Posnaniensis, Siradiensis, & Calissiensis concessus, 26. Iul. hoc año millessimo sexcentesimo quinquagesimo sexto,

cum hoc additamento, ne Duces Prussiæ imposterum à Rege Sueciæ, sicut sub Polonis obligati erant, inpræventia investituram petere cogantur, sed id negotium per mandatarium expediri possit, quod etiam juri feudali magis congruum esse, indicat textus in F. 2. t. 3. c. 1.

Livoni. Cum Moscus Livoniæ inhiaret, nec magister cruciferorum qui Livonibus imperabat ut vasallus Imperij, ad tutãdos illos satis potens esset, Rex Polonię ut nobilem & conterminam provinciam ex faucibus Mosci eriperet, Maximam Livoniæ partem abrogato magisterio cum principali illius civitate Riga sui juris fecit, sic forma Reipublicæ Livonicæ mutata an. 1560. Gottardus Kettlerus nobilis Westphalus ultimus Livonum Magister Curlandiæ & Semigalliæ ducatum, cujus caput est Mytovia residentia ducis, ut annexũ Livoniæ membrum in feudum Poloniæ masculeum perpetuum accepit à Sigismundo Augusto alias Secundo. Est vasallus Poloniæ, sed nullo in Comitiis Polonicis gaudet voto. Et sic año

año 1569. in Comitiis Lublinensibus Curlandia cum Semigallia Regno Poloniæ inserta est.

Pomerella cujus metropolis est Gedanum, disterminata Vistula à Prussia, suos olim speciales habuit duces, quorum ultimus Mestowinus dictus terram suam cum consensu subditorum an. 1290. Premislao II. duci Poloniæ testamento legavit, & legata Pomerella dictus Poloniæ dux, (qui postea se Regem salutari jussit) realiter potitus est, & Gedanum contra crucigeros muniri jussit, hinc controversia inter Mestovini agnatos Duces anterioris Pomeraniæ ut in Pomerellam ex proximitate prætendentes & Regem, interim inmiscent se crucigeri, terram occupant, longo temporis spatio detinent, usq; dum Prussia cum Pomerella in Regum Poloniæ potestatem venit, ibi Prussia in ducalem & Regalem divisa, Regalem, cujus civitas principalis est Mariæburgum antiqua Magistri sedes, cum Pomerella Rex pro se retinuit, reliquã Prussia in feudum prout supra memoravi Marchionibus Brandeburgensibus collata. *Pomerella.*

Lauenburgum & Bythovia. Sigismundus I. R. P. circa annum 1526. Georgio Pomeraniæ duci ex sorore nepoti Lauenburgum & Bythoviam præfecturas Prussis finitimas beneficii jure in feudum concessit, & ab illo tempore Pomeraniæ duces semper illarum præfecturarum investituram à Regibus, Poloniæ petierunt, sed ad personalem petitionem uti Dux Prussiæ, & Curlandiæ, obstricti non fuere, quod exinde colligo, quod apud Neugebauerū in historica Polonica in Stephano Rege memoretur, quod Pomeraniæ ducum legati nomine principū suorum ratione Bythoviensis & Lauenburgensis tractus Stephano Regi Poloniæ fidelitatem juraverint. Redierunt hæ provinciæ post mortem ultimi ducis Pomeraniæ Bogislai ad Poloniā.

Duc. Osvecimensis, Zatoriensis Severiensis, Scepusiensis. Tres ducatus utpote Osvecimensis, Zatoriensis, & Seueriensis à Silesia abstracti, ad Poloniā venerunt, & ad huc sub Cracoviensi Palatinatu comprehenduntur. Continet etiam dictus Palatinatus Comitatum Scepusiensem, qui est Vngariæ pars tredecim oppida continens, inter quæ Loboulia arcem munitissimam & in ea perpetuas habet excubias. Fuit autem tractus Scepusiensis Regibus Poloniæ pro octingentis millibus florenorum Pragensium mutuò acceptis ab Vngariæ Rege sub Jagellone Rex Pol. oppignoratus. Neugebauer in hist. Pol. in Jagellone. Similiter etiam per oppignorationes ducatus Opoliensis & Ratibonensis à Silesia abstracti Poloniam recognoscere cæperunt.

VII.

Decrementum Poloniæ.

Bohemia Bohemia Poloniæ tributoria fuit usq; ad Miezislaum II. qui anno 1025. bellum contra Bohemos movit, quod tributum Polonis quotannis perdi solitam Miezislao denegaverint, & Moraviam, quæ antea in potestate Polonorum fuit, ad se traxerint, Miezislaus bello nec oppidum recuperavit, & sic Bohemia à tributo liberata Moraviam suæ potestatis fecit, Neugebauer in Miezislao II.

Silesia. Silesia sub Vladislao Loctico R. P. intestinis Ducum suorum motibus ex

agitata à Polonis defecit, ſicq; Johañi Bohemiæ Regi ſe ſubjecit, ſub hoc rege etiam crucigeri Pomerellam vi obtentas mediante fœdere à regno Poloniæ jure ſempiterno recognoſcere ceperunt, quæ tamen ex poſtfacto ad Poloniam rediit.

Novogrodum. *Smolenſcum.* Johannes Moſcorum princeps regnante Caſimiro Jagellonide R. P. Novogrodum magnum primum Lithuanis eripuit, Smolenſcum ſemper ſub Lithuanorum fuit imperio, quod cum debitam Vitoldo Magno Lithuaniæ duci obedientiam negaret, ad officiũ redactum regnante in *P*olonia Jagellone, in provinciæ formam redactum, cum Lithuania perpetuo jure unitum poſtea à Johanne Magno Moſcoviæ duce regnante in *P*olonia Alberto, ut & ſub illius fratre Alexandro *R. P.* à Demetrio Moſcoviæ duce Johannis filio fruſtra tentatum, tandem à Baſilio Magno Moſcoviæ duce Sigismundo I. *R. P.* poſtquam à Vitoldo Lithuaniæ duce Lithuaniæ centeſimo año ad rectum fuiſſet, an. 1514. proditione ereptum eſt, idq; cum bene à Moſco munitum eſſet, à Sigismundo III. R. P. an.

1611. recuperatum, rurſus an. 1655. ſub Camiro Moderno Rege Poloniæ poſt longã obſidionem ad Moſcoviã rediit.

Pleſcovia. Baſilius Magnus Narvam alias Pleſcoviam dictam Sigiſmundo I. eripuit.

Livonia. Poſtulatum inter alias conditiones electionis à Sigismundo III. Rege Sueciæ, tam ante quam poſt obtentam coronam Poloniæ, ut illam partem Livoniæ quam tum Sueci à Narva usq; Revaliam & Hapſelon poſſidebant, ad reliquam Livoniam Poloniæ annexam adjiceret, ſed id forti terre curavit Sigismundus, ſeq; potius regno Poloniæ ceſſurum, quam avito Sueciæ regno aliquid detracturũ eſſe, ſeq; non videre reſpondit, qua ratione majus in Livoniam jus Poloni quam Sueci prætenderent, cum hi demonſtrare poſſint, quod Livonia ut membrum Imperii Romani cum à Moſcis in feſtaretur à Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. Imperator. protectioni Sueciæ non vero Pol. comendatæ fuerit, quod Poloni poſſiderent, defacto occupaſſe, idq; añ. Ch. 1559. quo tempore provincia illa miſerè diſcerpta fuit, Moſcº maximam & optimã partem princip.

Wirland, cũ Vellin, Marieburg, & toto Episcopatu Derpatensi subjugavit, Civitas Revalia, Padies, Borckholm, Fegfeuer Erico Regi Sueciæ se dedit, Oselwick & Curland detinebat Magnus frater Friderici II. Regis Daniæ, reliqua pars quæ ad magisterium ut & Archiepiscopatum Rigensem spectabat, ad coronam Poloniæ per Vltroneam cessionem Gottardi magistri Livonum an. 1561. pervenit. Ac ne inter Polonum & Moscum bellum añ. 1562 ratione Livoniæ inceptum, año 1582. sub lege cedendarum Polono civitatum & arcium omnium, quæ tum Moscus in Livonia possidebat, terminatum fuit. Poloni post hæc à Suecis arces & castella in Harrien, Wick, Wirland, & Jervensita & jure belli ab his acquisita, petebant, sed frustra. Et jam tum temporis offendebat Polonos, quod Sueci aliqua in Livonia possiderent, & in primis, quod cum Stephanus Pol. Rex Plescoviam à Mocis Polono ereptam obsidione cinxisset, Rex Sueciæ per Pontum Gardianum Narvam occupaverat, quæ res primam inter Suecos & Polonos simultatem Seminavit Neu-

gebauer in histor. Polon. in Stephano P. R. l. 10. p. (m) 720. Et quidem Stephanus R. P. Regem Sueciæ per legationes aliquoties de Narva & reliquo jure Livoniæ cedendo compellavit, & cum legatione nihil efficere potuit, tandem in publicis comitiis de ejiciendo Sueco ex Livonia consultavit, periculosam judicavit Suecorum viciniã, eò, quod hi nullum vicinum in veterascere patiantur, & cum Livonibus eadem lingua correspondeant. Sed dum Poloni aliis inhiant, sua perdunt, postquam Sigismundus III. R. Poloniæ à Suecis avito suo regno deturbaretur, illius patruo Carolo pro Rege assumpto, res in apertum bellum erupit, in quo Livonia ex maxima parte cum civitatibus Riga, Pernavia, Derpato & Venda se Suecis dedere cogebantur. Sic Livonia in Suecorum manus venit, quod Staro Volscius in sua Polonia, ut plurimum Livonum protestantiũ (qui sibi magis sub unius quam diversæ religionis Rege placerent) infidelitati ascribit, sed fallit.

Vratislaviensis, Lubussensis, & Caminensis Episcopatus olim Poloniæ *Vratislaviensis,*

Lubussensis & Caminensis superioritatem recognoverunt, sed hodie Vratislaviensis sub Regno Bohemiæ est, & reliqui Marchionibus Brandeburgensibus subditi sunt, nul- *Episcop.* lis ibi amplius existentibus Episcopis.

Valachia Cum jam Moldaviam Transalpinam Mahometes Turcarum Imperator an. 1474. sub Casimiro Tertio Rege Poloniæ occupaverat, sub Sigismundo I. R. P. Turca reliquam Moldaviæ partem anno. 1537. sui juris fecit. Fuit Valachia sive Moldavia testante Reichersdorf in chorographia Moldaviæ Hungariæ tributaria, sed & illam Poloniæ regnum agnovisse firmiter asserere possumus: Nam anno Chr. 1403. Valachiæ palatinus Alexander & mox Romanus Petri filius una cum consiliariis in verba Regis Poloniæ Vladislai Jagellonis cum promissione fidelitatis jurarunt. Neugebauer in hist. Vladislai p. (m) 242. Sed hodie nec Vngaro nec Polono magis, sed Turcæ paret, cui Palatinus Valachiæ aliàs Moldaviæ quingentos elegantiores equos cum trecentis falconibus & ingenti

genti ducatorum summa quotannis in tributum & recognitionem superioritatis pendit. Valachia à Flaccis Quiritum gente derivata ad huc Romanum sed valde corruptum sermonem usurpat, subacta à Trajano Imperator sub Galieno Imp. à barbaris & posteà sub Gratiano Imperator à Gothis vindicata, ad Barbaros pervenit, sic ex Gothorum & Romanorum confusione ortus populus mixtam incepit usurpare linguam, sed tamen & sclavicam in usu habet: Græcam religionẽ colit, armentis & gregibus alendis victitat, ex bobus & ovibus magnam pecuniæ vim cogit. Et hactenus de decremento Poloniæ & quomodo hæc sensim decreverit.

VIII.

De Regibus qui infeliciter regnarunt.

VLadislaus II. R. P. cũ ob intentatã divisionis paternæ querelã cum fratribus suis ex instigatione fæminæ bel-

bellum gesserat, in felix in bello occubuit, & suo spoliatus in exiliũ ad Conradum III. Imperatorem fugit, cui ita ex autorato cõmuni ordinum suffragio Boleslaus frater surrogatur.

Miezislaus cognomento Senex an. 1174. cum novis oneribus populum gravasset, nec Gideonis Episcopi Cracoviensis monitis locum daret, monitionem pro offensa cepit, & relicta sede regia in majorem Poloniam fugit, hinc descotor regni declarat⁹ surrogato fratre ejus Casimiro publicè exautorabatur, ille cũ conjuge & liberis se Ratiboriam recipit, & Friderici Imp. affinis sui operam imploravit, quam tamen non impetravit, defuncto Casimiro ubi vi recuperare non potuit, dolo tentavit, Helenæ Lesci matri regenti multa promittit, ut ad regnum redire possit, regnum obtinens, fidẽ frangit, sed rursus placata Helena in regno permanet, repetit violationẽ promissi, quam inopina mors secuta est: Bis Lescus principatu cessit, bis Miezislaus principatum dolo inter cepit.

Tartari cum aliquoties Boleslaum V. vici

vicissent, Polonis in frugam versis, Regem dictum eò adegerunt, ut cũ tota familia in Vngariã fugere cogeretur, quo tempore Tartari etiam in Silesia tantam ab Henrico Pio Duce Lignicensi reportarunt victoriam, ut interfectorum Christianorum singulis singulæ aures præscissæ novẽ ingẽtes saccos expleverint, referẽte Neug. in icõ. in Boleslao V. Boleslao nuspiam in regno comparente, proceres regni Boleslaum Calvum Henrici Ducis Vratislaviensis filium ad coronam accersunt, quam tamen Conradus patruus Boleslai V. occupata Cracovia illi extorquet, sed asperius regẽs à Cracoviensibus ejicitur, & jure postliminii Boleslaus V. revocatur, qui cum per aliquantulum temporis regnasset, de novo à Tartaris infestatus, rursus de fuga in Vngariam sibi consuluit.

Vladislaum Locticum R. P. regni proceres ob negligentiam regiminis Imperio de turbarunt, illi Wenceslao Rege substinuto.

Casimirus Magnus plurimas aluit concubinas, qui cum spretis Episcopi

D Cra-

Cracoviensis monitis in libidine perseveraret, ob ejus delicta Poloniam Tartarorum incursionibus castigatã annales produnt. Ille etiam in hoc reprehenditur ab historicis, quod facta ignominiosa pace, quicquid à majoribus suis in Pomerania, Culmensi & Michaloviensi tractu possedit, cruciferis in perpetuum cesserit.

Miezislaus cognomento senex ob varias populi oppressiones à proceribus regni depositus, illiq; frater ejus Casimirus substitutus legitur, Miezislaus I. infeliciter contra Vlodimirum Russorum ducem belligeravit, amissis multis oppidis est arcibus.

Arnoldus Mylius in iconibus Regum Polon. in Miezislao.

Vladislaus Jagellonides à quibusdam ad bellum contra Turcam gerendum persuasus, toto suo dissipato exercitu in prælio ad Varnam Bulgariæ oppidum cecidit, anno 1444.

Nec modernum Casimirum felicem prædicare possumus, vix à Cosacorum suorum injuriis respiraverat, cũ à Mosco maxima parte Lithuaniꝙ privabatur hinc Sueci superveniunt, capta Posnonia, Cracovia & Varsavia Regem regno excedere cogunt.

IX.

Qui inter Reges Poloniæ à Pontifice Romano excommunicati fuerint.

VNum solum inter Reges Poloniæ excommunicatum invenio, isq; est Boleslaus II. R. P. qui regnavit circa annum Christi 1059. Sicut olim Ambrosius Episcopus Theodosium Imperatorem severe admonuisse legitur in jure Canonico per dist. 96. c. 10. ita Stanislaus Sczepanovius Episcopus Cracoviensis acerbis admonitionibus dictum Boleslaum à lascivia & flagitiis quibus deditus erat, abstrahere voluit, cumq; hic bonis correctionibus contemptum ostenderet, Episcopus Regẽ anathemate percellit, Rex exacerbatus Episcopum sacris vacantem trucidari jussit, quę atrocitas Gregoriũ VII. Papam commovit, ut Regem diris devoveret, & Poloniæ sacris interdice-

ret. Et præter hunc, nullum magis excommunicatum inter Reges Poloniæ lego, plura de Imperatoribus hoc in passu dantur exempla, Otto IV. ab Innocentio III. Henricus IV. à Gregorio VII. Henricus V. à Paschali II. Fridericus I. ab Hadriano IV. & Alexandro III. Fridericus II. à Gregorio IX. Conradus IV. ab Innocentio IV. fulmine excommunicationis tacti sunt. Quicquid æstimentur à quibusdam ex comunicationes, multum semper incommodi pariunt, dum subditis rebellandi occasionẽ suppeditant, nec frustra Reges Galliæ à Pontificibus privilegium id impetrarunt, quod nullo modo excomunicari possint, L'estat de France inprimè an. 1653. p. (m) 8. Nulli magis excommunicationis reverentes sunt quàm Poloni, cui etiam super naturalem vim tribuunt, uti te Starovolscius in descriptione Poloniæ p. (m) 28. docebit, firmiter hic, & ipse Polonus, & optimus Romano-Catholicus asseverat, quod Corcini (quæ civitas non procul à Cracovia in Sendomiriensi satrapia sita est) infinita multitu-

titudo serpentum & aliorum insectilium reperiatur, sed quæ à summo Pontifice excommunicata nulli nocere possint, & ex portata statim moriātur. Quod si talem vim in insectis excommunicatio habet, quam in rationalibus animantibus habebit, nec, si hoc verum est, Poloni peccant, quod maximè sibi ab excommunicatione metuant. Ego talem pro debellandis regni hostibus excommunicationem suaderem.

X.

De infidelitate Polonorum versus suos Reges.

NON semper illud infelix imperium ex culpa Regũ, sed sæpius ex infidilitate populi & nobilium in Polonia profluit, prout ex sequentibus exemplis patebit.

Et quod ab antiquo subditi & vasalli Poloniæ suis Regibus minus fuerint fideles, sequentes historiæ docebunt. Romanus Vlodomiriensis & Haliciensis dux jurisjurandi immemor, Lesci

 Albi

Albi R. P. ditionem invaſit, ſed cum prælio vitam perdidit. Leſcus Albus R. P. Suentopelcum Pomeraniæ præfecit, quē cum honore Principis Rex dignari nollet, ille ira commotus Leſcum Regem in balneo obtruncat.

Conradus Patruus Boleslai V. dicti Pudici R. P. cum ſentiret dictum Regem magis in Henricum Vratislavienſem ducem quàm in ſe pronū, Boleslaum cum matre ſub ſpecie amicabilis colloquii evocatum ſecum in Secechovienſe monaſterium in Maſovia ſitū abduxit, ibiq; aſſervari juſſit, qui tamē opera Abbatis illius monaſterii brevi elapſus, in Sileſiam ad Henricum Vratislavienſem ſe contulit, cujus adjutu imperium recuperavit, adeoq; dicto Henrico obſumptus Cracovienſē ditionem cum ſummo imperio conceſſit, Sendomirienſi, & Lublinenſi tractu ſibi retento.

Minoris Poloniæ proceres authore Paulo Epiſcopo Cracovienſi extremæ perverſitatis homine à Leſco V. dicto magno, qui regnavit circ. añ. 1279. deficiunt, nec quicquam in Regis fide niſi

niſi ſola Cracovia permanſit, Rex in Vngariam pro fugit & Germani fortiter pro Rege Cracoviam defendunt, Leſcus a Ladislao Vng. Rege milites impetravit, quibus mediantibus ſuas ditiones recuperãdo, Conradum Maſoviæ ducem ad ſua redire coegit: Mylius, in icon. in Leſco V. Sed vix ſuo rurſus potiebatur Rex, tum Tartari in Poloniam irruentes talem illi timorē incutiunt, ut de novo cedere, & Vngariam pro aſylo eligere cogeretur, reverſus in Poloniam cum majorem ſuæ nobilitatis partem bello perditam videret, ex mærore animi obiit Anno 1289.

Petrus Pomeraniæ Cancellarius Palatini Gedanenſis filius, ambitione motus cum repulſam ab Vladislao Loctico R. P. de quibusdam poſtulatis paſſus eſſet, animo ſe vindicandi Marchionibus Brandeburgenſibus Conſilium invadendæ Pomeraniæ ſuppeditat, Vladislaus R. P. cognita proditione Petrum cepit, quem tamen Paulo poſt deprecantem ad fratrum ipſius preces libertati reſtituit, ille reſtitutus

novas turbas excitat, Johannē & Voldemarū Marchiones Brandeburgenses ad bellum Pomeraniæ inferendum magis magisque sollicitat, facile illum ob subditorum rebelliones jam occupari posse illis persuadet, sequuntur consilium Marchionis, Pomeraniam juvante Petro proditore ingressi plurimas munitiones partim deditione partim expugnatione capiunt, Gedanum obsident, quod quam primum portas obsidentibus aperit. Capta civitate arcis Gedanensis custodiam Bogussæ Pomeranæ duci commendat, quē de arce strenuè defendenda Rex hortatur, se illi brevi auxilio ad futurum pollicetur, sed quia Bogussa id tardius venturum (prout in Polonia fieri solet) judicabat, Regi ut crucigeros in auxilium vocet, illorumq; opera in arce defendenda utatur, consulit. Placet consilium, vocantur crucigeri sub conditione ut dimidiam arcem tenerent, cum hi se Pomeranis superiores, sentirent, socios ex arce ejecerunt, & Gedanum postea à Marchionibus relictum totum sibi vindicarunt, nec id pri-

priusquam Rex centies mille marcas grossorum Bohemicorum solveret, relinquere sibi proposuerunt, ibi Rex duplicatum bellum videt, pænitet illum auxilii externi vocati, videt, quod oves lupis commiserit, sed tandem inter Polonos & crucigeros dies transactioni designatur, conveniunt, sed re infecta discedunt, interim Lithuani se negotio immiscent, & de infestanda Polonia cum Crucigeris pactum ineunt. Brevi temporis spatio totam Pomeraniam subigunt, dum hoc fit, Cracovienses à Rege deficiunt, qui tamen paulo post in reconciliationem venerunt. Sic totum malum ex proditione supra dicti Palatini à Rege offensi procedit, admonentur tamen hac historia Reges Poloniæ, ne facile suos ministros offendant, neq; in bello peregrinis auxiliis facile fidant. Moderni infortunij Polonici author est ViceCancellarius, qui in Sueciam fugit, ibiq; omnia regni secreta revelavit, Suecos ad bellum incitando, hi consilio parent, & brevi totam fere Poloniam subigunt. Rex Casimirus in summis an-

 gu-

gustiis constitutus Tartarorum gentem rapacem & quæ sibi magis quam fœderatis consulit, in auxilium & partem armorum vocat, sed videat ne id sibi accidat, quod Loctico in vocatis crucigerorum auxiliis evenit.

Cum res fere inter Regem & Crucigeros transacta esset, ecce, Vincentius Szamotulius ob præfecturam majoris Poloniæ sibi à Rege ademptam maximè offensus, de vindicta cogitat, ad crucigeros proficiscitur, illosq; ad arma repetenda & in majorem Poloniam transferenda de novo accendit, illi cum vix dictam provinciam ingressi essent, multa castra & urbes diripuerunt, Rex Vladislaus cum sua miserè vastari videret, authorem proditionis Vincentium de mutando consilio, & ut relictis crucigeris patriæ succurrat, monet, seq; illi omnia delicta, quæ hactenus per proditionem patrasset, cōdonaturum sanctè promisit, Vincentius ut maculā proditionis novo beneficio obliteraret, conflictum Polonis suadet, interim crucigeros, apud quos ad huc duplex proditor erat, totos

tos securos facit, & quod nihil à Polonis amplius metuendū sit, illis renunciat, crucigeri toti securi deprehenduntur & à Polonis inopinatò adorti funduntur, Vincentio amico simulato interim impetum cum suis in crucigeros faciente, ibi cæsa cruciferorum viginti millia, Sic vulnus à proditore inflictum ab eodem simili proditionis medicamento fuit sanatum. Sic dolo victi, qui armis vinci non potuerunt, nunquam enim cum cruciferis Rex Poloniæ Vladislaus, ut robur Germanicæ nationis metuens, testante Neugebauer in icon. polon. in dict. Reg. congressus fuisset, nisi ille dolus ansam dedisset. Eodem fere exemplo, dum Quartiani milites Poloni Carolo Gustavo Suecorum Regi in moderno bello juraverant, summo per jurij genere à Suecis desciverunt, ad Polonos reversi, quid imposterum fidei Polonorum credendū sit, satis testantes, Quæ defectio Suecos in multis maximè turbavit.

Poloni nec suis nec externis regibus fideles sunt, & quod illis admodū commune

mune est, proprios Reges temnunt, quod Johannem Albertum R. P. non latuit, qui ideo cum Vladislao fratre, Rege Vngariæ & Bohemiæ secretum fœdus conclusit de reprimendis rebellibus subditis, apud quos ille contemtui erat, referente Neugebauero in histor. Polon. in Joh. Albert.

Nobilibus etiã in Polon. citra caussam sæpius contra Reges suos querelas movere in more est, quasi illi nobilitatis privilegiis præjudicent, & majori quam decet licentia utantur, & hæ querimoniæ inter nobiles Poloniæ admodum communes sunt, & semper fuere, an ex consuetudine conquerendi, vel amore majoris libertatis, si major libertas dari potest, descendãt, nescio, Regium aliquoties imperium nimis durum reputant, interim tamen nec formam popularis status amant, cum initio fundati principatus Poloniæ posteritas Lechi in Visimiro extincta esset, Poloni nimiam libertatem asserentes, & respuentes extraneorum principum regimen, duodecim Palatinis viris ex sua gẽte præcipuis administra-

nistrationem reipublicę demandarũt, sed cum nec pluralitas gubernatorum illis placeret, regio imperio reassumpto Cracum qui primus Cracoviam ædificasse fertur ad fasces principatus Polonici evexerunt. Guagnin in hist. polon. tom. 1. p. (m) 54.

Quod Nobiles Poloniæ sæpius de Regibus suis conquerantur, nimirum de illorum nimia licentia, & de suis imminutis libertatibus, demonstrarunt sub Sigismundo I. & Stephano Regibus Polonię: Et quidem sub Sigismundo I. R. P. nobilitas ægerrimè tulit, quod Senator quidam primarius nobiles minorum gentium, qui ad Comitia Cracoviæ an. 1537. habita pedibus venerant, non satis honorarit, quod adeo commovit nobiles, ut exinde ferè bellum exarsisset, & Regi nobiles obedientiam renunciassent; Sic etiã multas injurias à nobilibus suis Stephanus Rex Poloniæ perpessus est: Samuel Zborovius quod circa tempus coronationis Henrici Valesij Regis Andream Vapovium Castellanum Premisliensem interemisset, proscriptus, cum jam

jam Stephanus suffragantibus fratribus suis Petro Palatino Cracoviensi, Johanne Castellano Gnesnensi, Andrea Marescallo aulæ regiæ ad regnum pervenisset, sibi ideo majorem licentiam arrogavit, quod censeret Regem opera fratrum suorum electum in illius crimen non inquisiturũ, prout ex hoc capite omnes fere nobiles Poloniæ qui solum Regi electo suffragium dederunt, sibi majus quid tribuunt, Regem sibi regnũ debere censentes, impune per totũ regnum grassabatur susq; deq; habita proscriptione, Zamoscius Regni Cancellarius illum ut è finibus excedat, admonet, sed tantum profecit illa admonitio, ut & Zamoscij vitæ insidiaretur, quod cum Zamoscius percepisset, illum exploratum capi & arctę custodiæ mancipari, & deinde capite multari ex decreto Regio jussit. Post supplicium Samuelis repertæ fuerunt, literæ Christophori fratris ad Samuelem Zborovium quæ summam illius testabantur infidelitatem, inter cætera erant, se non flexurũ genua coram isto Baale, nec Regẽ hoc nomi-

nomine dignum, insignia regia dentes lupinos cavillatus, canum dentes appellavit, se Moscovitis operam detulisse, & Kosacos contra Regem concitasse. Autorem literarum Rex citari mandavit, sed cum non compareret reus læsæ Majestatis proclamatus fuit.

Contra has licet justissimas Regis actiones insurgunt nobilitatis nuncii, de Samuele Zborovio supplicium illicite extra regni comitia sumptũ, Regẽ licentius agere, nobilitatis privilegia imminui conqueruntur. Sic & crimina apud Polonos nobiles defensores impetrant: Vide Neugebauer in hist. polon. in Stephan. Nec memoria excidit bellum illud, quod Nobilitas Poloniæ contra Regẽ Sigismundum III. R. P. movit, publica acie cum Rege gesta an. 1607. quod intestinum bellum Suecis occasionem dedit, ut Carolo, quem dudum elegerant, dilata huc usq; coronatione eò majori securitate sceptrum solenni poma deferrent, Ludov. Gotfrid. in invent. Suec. p. (m) 123.

Laudat Starovolscius in Poloniæ descri-

ſcriptione maximè ſuos Polonos & in primis, quod principibus ſuis ſatis ſint morigeri ſed ſi Joh. Barcla. in ſuo Satyrico p. 4. c. 8. audiet, fortaſſis aliter ſentiet: Ille ita de polonis: Gens eſt ad ferociam & licentiam nata quã vocant libertatem, adeò ut infandę barbari ei legem multis ſeculis ibi ſolennem, vix nunc demum omiſerint, eâ ſcilicet caverant, ut qui hominem peremiſſet, ſolveretur metu judiciorum, ſi in jacentis cadaver projeciſſet pauculos nummos, quorum numerus eadẽ lege deſtinabatur? nec tam vile feciſſent humanæ vitæ pretium, niſi ſui genij impetu pro levi facinore haberent, humanum cruorem prodigere. Ipſum nomen non tantum ſervitutis ſed & juſti ac legitimi regni oderunt, Rex ad patrias leges vi & armis adigitur, nobilitas triſtibus prærogativis ſe ipſa donavit, quibus poſſit ſibi in vicem & impune nocere, quippe principi non ſatis juris eſt, ut quod peccaverint, ipſe vindicet, maximè ſibi credunt, nec major libido eſt libertatis in moribus, quam in religionum & cæleſtium rerum

rum ſenſu, de quibus, ut placet, ſine metu & ſentire volunt & loqui, ſcilicet immani fiducia ſui, quibus ſapere alieno ductu pudet. Sævire quam decipere promptiores, & ipſi magis fraudibus quam vi patent. Hæc Barclajus.

Hoc maximè in nobilitate Poloniæ culpatur, quod cùm elegerit Regem, illi tamen non fidat & hæc diffidentiæ ſpecies eſt, quod Regi ſub fortalitia ædificare ex ſola ſuſpicione dominatus Regii non permittant, nunquid hoc maximum diffidentię genus fuit, quod cum pax inter modernum Regem Caſimirum & Coſacos añ. 1656. Concluſa eſſet, ſub lege, ut à devotione Regis & illius ſuperioritate 40000. Coſaci milites dependeant, nobilitas id ratũ habere noluit, ſed, ut à proceribus regni dependerent, fruſtra petiit, conditione ſemel concluſa firma manente. ſic & illam militiam ſuo Regi gubernandam Poloni concredere noluerunt: Sæpius in minutiis nodum quærunt, prout factum an. 1652. cum Rex Caſimirus habitum Gallicum induiſſet, id maximè Polonos offendit, atteſtan-

ſtante Relatione autumnali ſemeſtrali Francfurtana de an. 1652. p. (m) 8.

XI.

De Fœdere Polonorum, & cum quibus in amicitia vivant.

CVM Saxonibus ab antiquo ſemper Poloni confœderati fuerunt, & inprimis cũ Marchionibus Miſniæ, cum quibus & primum cum Wilhelmo Marchione Miſniæ Jagello R. P. fœdus percuſſit. Nec ſolum Saxones, ſed & Germani omnes perpetuum fœdus cum Polonis ſanxerunt, imperante Maxmiliano Cæſare & Sigismundo I. R. Pol. an. 1525. Sed Germanis minus quam ulli fidunt Poloni, de illis enim talem hauſerunt opinionẽ, quod, licet variis fœderibus & toties iteratis affinitatibus cum Polonis juncta ſit Germania, illius tamen principes eorum patriæ inhient, & in omnem ſint intenti occaſionem, uti Starovolſcius & ipſe Polonus in deſcriptione Poloniæ, p. 95. de hoc, conqueritur.

Cum

Cum Friderico Daniæ & Guſtavo Sueciæ Regibus, Pomeraniæ item & Megapolitanis ducibus amicitiam & fœdus Sigismundus I. R. P. contraxit, eo fine ut Gedanenſes per mare Balthicum eo liberius & citra ullam turbationem navigare poſſint, quo Rex demonſtravit, quantum ſibi de liberis Gedanenſium commerciis, & quid Gedanenſibus de vicinorum illorum principum amicitia interſit, clauſo enim mari Balthico Gedanenſes facilè in paupertatem dilaberentur.

Cum Bohemis perpetuum fere duxerunt bellum Poloni, apud quos ſemper ſuſpecta fuit Bohemia, utpote quã ſemper quod Polon. detraxiſſe cenſebant, hinc proverbium inter utramq; gentem ortum: quod nimirum incrementum Bohemiæ ſit detrimentum Poloniæ, & contra, & hæc inimicitia duravit, usq; ad tempora Boleslai Secundi R. P. qui primus cum Vratislao Rege Bohemiæ ſua ſorore illi in matrimonium data pacem & fœdus ſanxit, an. 1059. & Caſimirus Jagellonides R. P. antiquam cum Bohemis amicitiam Glogoviæ renovavit.

 Nul-

Nullum magis Turcæ nocere posse quam polonum censet Thomas Campanella in sua instructione status ad Regem Hispaniæ, inprimis ubi hic cum Mosco & Tartaris in pace viveret, & antiquitus inter Turcas & Polonos perpetuum fuit bellum, quod cum Casimirus Jagellonides R. Pol. sibi amplius non expedire videret, cum Bajacete Turcarum Imperatore pacem & amicitiam conclusit, adjecta lege, ne imposterum alter alterius ditionibus vi quid detraheret.

Cum Ludovicus Rex Vngariæ & Poloniæ Mariæ natu majori filiæ regnum Vngariæ, & Hedwigi natu minori Poloniam procurasset, sempiternum etiam post illius mortem fœdus inter Vngaros & Polonos Sancitum, hac conditione, ut si Hedwigis nullis relictis liberis decederet, Maria soror cum posteritate illi in regno Poloniæ succederet, vicissimq; idem jus esset Hedwigi in Vngaria. Quod fædus sub Jagellone marito dictæ Hedwigis ita cõfirmatum fuit, ne proceres Vngari Polonis & vice versa Regibus suis alteri contra alteros opitularentur. In-

Inter Polonos & Moscos naturale videtur odium, prima inter illos pax regnante in Polonia Sigismundo I. facta, toties ex resarta, toties fracta fuit. Mox inducias, mox pacem, mox fœdera datis & acceptis pro more gentis utrinque personalibus juramentis, quæ Mosci in tali confirmatione exosculando crucem Christi præstant. Sed res semper ad bellũ rediit, & dum sua Moscus dilatare gestit, amore habendi vicina regna invadit, & juramentis ut tesseris ludit.

Tartari Tauricani cum ab antiquis Podoliam Russiam, & vicinas Poloniæ regiones semper depopulati essent, tandem de fædere cum Sigismundo I. Rex Pol. erigendo cogitarunt, cui etiam juramento, prout apud illam gentem fieri solet, aqua nimirum strictis frameis infusa & sorpta, malè imprecantes illi, qui tale fregerit, auxilia cõtra omnes illius hortes promiserunt, quibus tamen, prout Neugebauer in Sigismundi I. historia commemorat, Rex ob gentis illius perfidiã non multum fidit. Infidelis est natio, quæ solum

 latro-

latrocinij caussa militat, & in fœderati sui terris, prout in hostico essent, grassantur. Rex Casimir⁹ in moderno bello illos in partem armorũ contra Suecos accivit, sed verentur plurimi, ne id & suo & Poloniæ detrimento fiat. Reges ad extrema redacti, ubi Christianorũ auxilia invenire nequeunt, Turcas & Tartaros plerunque invocant, quod in totius Christianæ Reipublicæ detrimentum posteà redundare solet. Illustre habemus in Johañe post mortem Ludovici Rege Vngariæ electo, quem cum Ferdinandus Caroli V. frater (cum jam Bohemorum Rex creatus, Vngarici regni obtinendi cõmodam occasionem tam propter Bohemorum quam Germanorum auxilia, quæ tum prompta habebat, advenisse: arbitraretur, ex prætensione aliqua, quam ex pactis successionis inter Fridericum Tertium Imperatorem & Matthiam Vngariæ Regem initis ducebat) capta Buda principali regni civitate regno exutum, eo adegisset, ut de fuga sibi in Poloniam consulere cogeretur, ibi cum Johanni auxilia invenire

nire difficile fuit, miser Rex Solymannum Turcarum Imperatorem & illius subsidium imploravit, hac petitione adjecta, Turca ubi se regno ejectum restituerit, se illi fidelitatem juraturũ, Solymannus Vngariam adoritur, illius maximam partem subigit, nec Johannis nec Christianæ Reipublicæ bono, Neugebauer in hist. Polon. lib. 7. in Sigismundo I. p. (m) 521. ex quibus patet, quantum & quo usq; nos illis infidelibus, utpote qui sua tantum procurant, confidere debeamus.

XII.

De amicitia inter Polonos & Austriacos.

SVadet Thomas Campanella in sua Monarchia Hispaniæ p. (m) 118. Archiducibus Austriæ, ut semper Polonos ut suos vicinos ãicos habere laborent, & cum illud inter Septentrionalia potentissimum sit regnum, eo consilia dirigenda putat, ne hæreticus ad sceptrum Poloniæ perveniat, hoc enim

enim admodum periculosum Domui Austriacæ judicat, consultum etiam ducit, quod Austriaci suos vel ad minimum suos affines ad id sceptrum promovere studeant. Quamvis nullus Archiducum Austriæ Rex Poloniæ fuerit, cum Regibus tamen Poloniæ illi semper affinitatem contraxerunt. Primus ex Regibus Poloniæ, qui cum Austriacis affinitatem contraxit, fuit Casimirus Jagellonides R. P. filius Jagellonis R. P. qu Austriacam Alberti Cæsaris filiam in matrimonium duxit, eodem exemplo Sigismundus Augustus Catharinam Maxmiliani II. Imp. Sororem, thoro matrimoniali sibi sociavit, & Johannes Rex Suecíæ, ex metu ne Austriaci sibi nocerent, ut refert Thuanus l. 104. p. 1100. Sigismundo III. filio suo Regi Poloniæ Annam Caroli Archiducis Austriæ filiam, Ferdinandi II. Imp. Sororem in connubium procuravit. Hæ affinitates Reges Polonorum Jagellonicos cum Austriacis maxime conglutinarunt. Sed & tamen aliquæ inter Polonos & Austriacos aliquoties simultates ortæ, sic memo-

rante Neugebauero in histor. pol. in Sigismundo I. cum post Alberti Romanorum Vngarorum & Bohemorū Regis Suecisq; Austriæ obitum Vladislaus Jagellonides R. P. Casimiri R. P. frater Vngariæ procerum suffragiis ad regnum Vngariæ vocatus, & Mathia Hunniade postmodum defuncto Vladislaus alter Bohemorum Rex Sigismundi I. R. Polon. frater ad sceptrum Vngariæ postulatus, id Archiducibus Austriæ præripuerit, maxima inter Austriacos & Jagellonicos simultas orta est, quam auxit Sigismundi I. R. P. cum Barbara Scepusia connubium, quod Austriaci ideo conclusum suspicabantur, ut Johannes Comes Scepusius Barbaræ frater nuptiis Annæ Vladislai Regis filiæ authoritate Sigismundi I. R. Pol. fratris authoritate potiri, & sic successionis jus quod Maximiliano ejusq; nepotibus in Vngariam debebatur, eò difficilius reddere posset, hinc Maxmilianus ex secreto quopiam odio cum Moscis fœdus iniit, illosque contra Polonos incitavit: Notum est, quod Austriaci etiam cum Jagelloni-

cis in hoc discordes fuerint, quod cùm aliqua Senatus pars Maxmilianum II. Imp. Regem Poloniç elegisset, alia verò Annam Sigismundi II. sororem, dictus Maxmilianus belli cujusdam contra Stephanum dictæ Annæ maritum moti author fuerit, ad regnum tamen non pervenit, ut & Ernestus dicti Maxmiliani filius post mortem Stephani Regis Poloniæ & antequam Henricus Valesi⁹ eligeretur, Regni Polonici obtinẽdi desiderio afficiebatur, ut & hujus frater Maxmilianus à quibusdam Poloniæ proceribus contra Sigismundum III. electus, cum jam confirmato Sigismundo vi sibi sceptrum parare vellet, in bello captus, victoria cecidit.

XIII.

De militia.

CUM principale Reipublicæ firmamentum in armis consistat, de militia Polonica & quomodo instructa sit, aliquid dicemus.

Præ-

Præfert Polybius equestrem pedestri militiæ, cujus si vera & universalis esset opinio, Polonica omnibus aliis palmam præriperet, cum tota ferè in equitibus & in primis ex Nobilitate lectis consistat, & ordinarie ad centum mille armatos & ultra excurrat.

Verum quidem est quod equestris ubi bona est, agilitate aliquando in præliis plurimum valeat, uti & cum Germani ductoribus Wolfgango Schönbergio & Wilhelmo Comite Isenburgico crucigerorum Magistro Alberto Marchioni Brandeburgensi contra Polonos suppetias tulerant, Poloni equorum celeritate Germanos fuderunt. Habent citra dubium Poloni instructissimam equestrem militiam, & si Germanicam vel Suecicam pedestrem haberent, inter omnes alias caput extolleret.

Totus fere exercitus in nobilibus consistit, qui servitia suis sumptibus præstare tenentur, comparent autem post vocationem non nisi

nisi tertiam Regis, & postquam in Comitiis de hoc decretum est, sicq; universa expeditio lenta est, & dum conveniunt, interim occasio dilapsa est. Hinc, cum Tartari plerunq; Podoliam & vicinas continuò vastassent regiones, & auxilia quæ in comitiis Polonicis rogantur, satis tarda essent, suasil Sigismundus I. R. P. ut aliquot navium classe instructa, eiq; duorum millium peditum præsidio perpetuo imposito inferiores Borysthenis partes communirentur? Constituit etiam dictus Rex in Comitiis Petricoviæ mercenarium militem, qui ad fines Lithuaniæ & Podolię defendendos excubias perpetuas ageret, pecunia agricolis & oppidanis in id imperata, ut & in illum finē Podolicæ ac Russicæ nobilitati imperavit, ut illis limitaneis militibus equis & armis opem ferret. Sic cum lentior sit expeditio generalis, excogitata est ratio legendi mercenarii militis tam equestris quàm pedestris ad subitas hostium incursiones reprimendas stipendio trimestri in equitem senum, in peditem quatuor florenorum pre-

pretio constituto, & ut eò melius mercenarius miles sustentari posset, Sigismundus II. dictus Augustus quartam partem redituum regiorum fisco Reipublicæ intulit, & Episcopales Annatas sive reditus vacantium Episcopatuum eidem destinavit, ut inde miles ad defendendam Russiam, vel aliam ob caussam necessitate urgente aleretur. Reditus illi tempore pacis in arce Ravensi deponuntur, & milites exinde sustentandi Quart. vocantur, à quarta nimirum parte redituum regionum, qui illorum sustentationi assignati sunt, ita denominati. Vbi majori stipendiariorum numero opus est, pecunia in Comitiis cogitur, vel tributo in mansos, vel collecta in cerevisiam imposita, vel alia collectarum specie excogitata, Nec rarum est in Polonia tributum capitis, focorum & fenestrarū urgere prout añ. 1655. sub moderno Rege Casimiro factum. Sed tarda plerunque fit illa in comitiis rogata collatio, hinc ob in commodum expeditionis universalis & comitiorum sub jam dicto Rege an. 1652. sancitum, quinqua-

quaginta quinque mille in Polonia, & Viginti mille milites in Lithuania continuo alere, in quem finem Nobilitas 10. pobar, magnam auri sum̃am & stat⁹ Ecclesiasticus 48. pobar singulis tribus mensibus sub immunitate metatorum solvere promisit, Mercatorum donativo in quinquaginta mille & Judæorum collecta personali in septuaginta mille florenis consistente.

Quod valorem Polonicæ militiæ concernit, est hæc magis concertationibus campestribus quam expugnationi urbium vel propugnaculorum apta, exercitus enim Polonicus ex equitibus consistit, & pedites paucos habet, si quos alit, illorũ opera potius ad labores castrenses quam ad concertationem utitur. Vbi oppugnationem urbis vel fortalitii instituit, ex Germania & Vngaria pedites mercenarios vocat.

Equites ultra quinque milliaria extra fines regni militare non coguntur, & si ulterius progredi necesse est, in Comitiis ad legendum mercenarium militem pecunia prius cogitur, quod maximum in Polonia in commodum

habetur: Vel si eques ille etiam mercenarius est, novum stipendium postulat, quod actionibus bellicis morã injicit. Starovolsc. in descriptione. Pol. suos Polon. equites maximè com̃endat, & ut alia exemp. prætercam, quæ de Moscis & aliis populis debellatis adducit, hoc solum attingo, quod ille de bonitate Polon. exercitus memorat, quod nimirum sub Sigis. III. R. P. Zamoscius nõ totis sex millib⁹ Pol. octodecim millia Germ. victo Maxmil. Archiduce Austriæ in fugã verterit, item quod Chodwicius in bello Pol. sub Sigis. III. R. P. Carolo Regi Sueciæ trib⁹ millibus novem millia Suec. ad Kircholm. fuderit, quatuor millibus captis, & quod Konicpolsc. in Prussia quinque equitum Pol. cohortibus Gustav. R. S. novem millia ad stumam habentẽ devicerit: Vera hæc si sunt, etiam in contrarium multa dictus author inveniet apud Gotf. in inventario Suec. ad quẽ illum brevitatis gratia remitto. Dictus Starovolscius putat, quod, si ordines regni Polonici gratum haberent, ducenta & amplius præstantissimorum peditum millia deligere possint, Ger-

Germanos & Vngaros pedites, utpote qui aerem Polonicum facilè ferre non possint, bello Polonico ireptos judicando.

Sed quid? licet electa omnium in Polonia copia esset, militia Polonica tamē à suis defectibus liberari nequit; Vbi sub signis convenerunt, plerunq; contra Regem tumultuantur, ipse Rex tardius in expeditionem procedit, ob socordiam ducum in maxima victualium copia commeatus penuriam patiuntur, idq; ob neglectā annonæ curā sic fame oborta aut moriuntur, aut dilabuntur, aut suis ducibus obedientiam recusant. Vbi expeditio suscipitur, nulla servata disciplina militari procedunt, omnes etiam difficulter sua relinquunt, ex inveterata consuetudine tertium edictum expectantes.

Et sic ipse Starovolscius in Polonica sua militia, celeritatem, annonę curam, obedientiam, & disciplinam militarem exoptat.

Et licet optimus in Polonia equitatus sit, nullum tamen ordinem esse dictus author conqueritur, p. (m) 94. cum

cum enim (inquit) ad potentiam & firmitatem cujusq; status requiratur numerositas virorum bellicosorum abundantia commeatuum, pecuniarum magnitudo, armorum sufficientia & munitionum frequentia, nullum prorsus ex prædictis conditionib⁹ debite & convenienter habemus, quamvis singulas præ aliis gentibus excellentiori quodam modo possideamus: Hæc Starovolscius: Certè si inter Polonos ordo observaretur, si concordia inter proceres esset, si obedientia debita ducibus & reverentia Regi daretur, posset equitatus ille ad huc aliquomodo de se gloriari, cogitate, quales Polonorum vires sint, dum testante Starovolscio ducenta equitum millia absq; ullo stipendio & oneribus ærarij habere possunt. Jagello Rex Poloniæ cum nondum Prussia, Pomerania & Curlandia sub Polonica jurisdictione essent in castris centum millia habuit, relicto sufficienti numero ad provinciarum & urbium custodiam: Sed deficiente disciplina militari nec copia duplo major proficit. Inter septentrionales

onales illos populos soli Sueci ratione bonæ disciplinæ militaris comendantur, utpote qui alios sui cæli vicinos in hoc antecellunt, quod intra quatuordecem dies emergente necessitate optimo peditatu in 36000. militibus consistente, & qui ubiq; & extra territorium, ubi Rex Sueciæ & status voluerint, sequi obligatus est, instructi esse possint. Divertimus jam ad militiæ Polonicæ divisionem.

Quod equites Poloniæ attinet, illi duplicis sunt generis, alii sunt gravioris, alii levioris armaturæ, gravioris armaturæ alii sunt hastati, & Hussari vocantur, alii Harcabusseri appellantur, sclopetis tantum armati: Qui levioris armaturæ sunt, alii sclopetis oblongis, alii pharetris & lanceis brevioribus sunt armati, utriq; loricis induti, Cosachi appellantur. Peditatus deligitur ex Cosacis Zaporensibus, qui omnes rustici sunt, & ex suis plebejum ducem eligunt, servata antiqua Romana militia: Alij quidem præter hos sunt pedites, sed pauci, utpote Hei duci, è Polonia & Hungaria conscripti.

In

In satrapia Kioviensi & Braslaviensi plebs assiduis bellis exercitata, in insulis Borystenis congregatur, se Cosakos vocant, excubias pro regno agunt, & aliquando Turciam per Pontum Euxinum infestant, Numerantur quadraginta mille, gratis militant, & finito bello honorario à Rege donantur.

XIV.

De defectu armamentariorum & Castellorum.

NON minimus Poloniæ defectus est, quod illa præter quod metallis caret, etiam armamentariorum curam non gerat, nullo armamentario publico gaudet, sunt quidem memorante Starovolscio aliquot tormentorum majorum repositoria ab Vladislao IV. instituta, sed nec illa prout decet, instructa. Alter defectus est, quod Castellis & fortalitijs Polonia destituatur, nulla enim pro defensione illa castella habet, & si quæ sunt, privatos agnoscunt, & magis rebellioni quam

 de-

defendendo regno miniſtrant, qualia ſunt Zamoſcium, Lancutum, Zbaraſium, Neſvicia, Lachovicia, Medirecia, Dubna, in Podolia & Ruſſia ob Scythiæ infeſtationem oppida in relatione ad alias Poloniæ urbes ſatis munita ſunt, ſed magnos impetus diu ſuſtinere nequeunt. Cameneciam Podoliæ urbem ut natura loci arteq; munitam inter omnes alias prędicant, ſed ſi Germanica vel Suecica videbunt fortalitia, erubeſcent. Nec eſt quod Starovolſcius defectum illum caſtrorum & munitionum animoſitate Polonorum palliet, quaſi Poloni ſua ſatis pectoribus defendere valeant, ubi caſtella haberent, locus ignaviæ daretur, à Tartaris enim & Moſcis nunquam etiam in media Polonia de populationes paſſi fuiſſent, ubi ęqua habuiſſent fortalitia, Non eſt quod credas, quod nulla omnino in Polonia munita loca ſint, in majori enim Polonia in teritorio Oſtreſſovienſi Boleslaveciam, in Ravenſi ſatrapia arcem Ravam, ubi quarta pars redituum regiorum deponitur, & honoratiores captivi aſſervantur, ut & Lovicium Arciepiſcopi Gneſnenſis reſidentiam, in Lencicienſi terra Lenciciam in paludibus ſitam, in minore Polonia & quidem in Cracovienſi Palatinatu præter arcem Cracovienſem & Lobouliam caſtella in editioribus locis ſita ut Melſtinum, Rabſtinum, Tencinū Laudiſcoronam, Moraviciam, Xianſiam, Ogrodeneciam, Lipoveciam, Ociecium, Viſnicem, Pilciam, Sorſtenum, Bobrk, Spitkovicen & Soben invenies, ſed quid illa omnia, cum faciles ut plurimum patiantur aditus.

XV.

De incommodo diverſarum religionum.

Religionum in Polonia diverſitatem ut maximum allegat incommodum Starovolſcius in ſua Polonia, non tam Græcos vel Armenios, quam proteſtantes culpando, in quos omne infortunium rejicit, quod Poloni à Suecis perpeſſi ſunt, cum quibus ille pro-

protestantes colludere annuit; Sed quare magis Græcos vel Armenios amat, cum Starovolscius Leopolim à Sixto V. Pont. maximè ob id laudatam ait, quod semper hæreticos excluserit, cum tamen Armenios admittat. fortassis quod illorum tanta non est potentia, quanta protestantium, simili, ni fallor, ratione, quæ in jure Canonico in causs. 23. q. 8. c. 11. proponitur, ubi dicitur, quod Iudæi, quod nocere nequeant, tolerati possint, Saraceni vero minimè cum admodum potentes sint. Quod Protestantes à Polonis Catholicis minus amati sint, non ita pridem & quidem an. 1655. in principe Jano Razevilio apparuit, qui post varia & quidem optima Poloniæ præstita militaria officia, diu petitâ confirmationem Evangelicæ religionis & sui liberi exercitij obtinere non valuit. Sæpius etiam Ecclesiasticus Poloniæ status de ejiciendis protestantibus in publicis comitiis egit, sed Polonia ut magis populosa fiat, varias admittere religiones necessario tenetur, prout etiam

etiam præter Lutheranam, Calvinianam, Græcam & Armenicam religionem, plurimos Iudæos & Mahumetanos alit. Iudæi passim sunt in toto regno & scholam suam illustrem Bresciæ in Lithuania habent, Mahometani vero ex maxima parte in Lithuania & Volhynia habitant. Inprimis amati sunt Armenij, quod merces varias ex Perside & Turcia adducant, habent hi Episcopum Leopoli in Russia, & Cameneciæ in Podolia, habent etiam in majoribus Russiæ civitatibus suos seniores, qui fidem urbicis magistratibus præstant, & invitia suæ gentis animadvertunt. Græcorum Archiepiscopus & quidem valde dives Kioviæ residet, quem Starovolscius præter morem illius gentis Romano Pontifici obedientiam præstare indicat. Leopolis, Premislia & Volhynia græcos episcopos tenent, & prope Ostrogium ditissimũ est monasterium Russicum, ubi monachi Schismatici sub regula Sanct. Basilij vivunt, amplasque tenent possessiones.

Possidet etiam dictus Kioviensis Metropolita centum pagos maximè adscriptitios.

Licet vero Polonia quodlibet fere religionis genus admittat, hoc tamen arcanum politicum habet, quod nulli ad Senatum & officia nisi Romano-Catholico aditum præbeat:

Quam ob caussam & ne alij diversæ religionis in tribunalia irrepant, Starovolscius indicat, Reges voluisse, ut è cathedralium capitulorum collegiis minoris ordinis mystæ illis intersint, ita ut Cancellarij vel Pro Cancellarij munus alternis vicibus penes Episcopos remaneat, majorq; Regni Secretarius semper Ecclesiasticus sit.

XVI.

Quid Ecclesiastici in Polonia de moderno bello Suecico judicare possint, & de illorum Potentia.

STatui Poloniæ Ecclesiastico citra dubium bellum Suecicum suspectum est, non ignorant, quod Protestantibus ampla Ecclesiasticorum bona circumcidere commune sit, sufficienti ministris verbi divini ad sustentationem relicto: Sciunt, quod illi plerunq; decimas & novalia ad se trahant, Sciunt, quod non libenter Ecclesiasticos ad consilia & conventus Imperij admittant, Cum itaq; status Ecclesiasticus duas Poloniæ partes & à servitio & ab onere tam reali quam personali immunes possident, quamdiu vivent hæreticorum imperium reformidabunt, cum inprimis illos non lateat, quod Gustavus I. Rex Sueciæ Ecclesiasticorum Suecicorum arces, oppida, & bona ad fiscum Regium traxerit.

Quanta ecclesiasticorum in Polonia sit potestas ex sequentibus dijudicare potes. Duo sunt Archiepiscopi Gnesnensis & Leopoliensis, Gnesnensis à concilio Lateranensi vices summi Pontificis accepit, hinc Legatus natus vocatur & Leopoliensem Archiepiscopum subjectum habet: Proregem interregni tempore agit, Cancellarij munus obit. Post Regem solus in Polonia aulam tenet, utpote qui suos officiales, cubicularios, Cancellarium & Marescallum habet, quorum hic Archiepiscopo in publicum prodeunti, sicut etiam Regibus Poloniæ mos est, baculum præfert, ille Spiritualia gubernat.

Primum habet in Ordine Senatorio locum, & summam in consilijs authoritatem, & quod apud Germanos Archiepiscopus Moguntinus, id & ille indicendo nimirum electioni diem peragere solet, Electum Regem nominat, promulgat, & Cracoviæ inaugurat & consecrat. Eligitur, sicut omnes in Polonia Episcopi, à Rege Poloniæ ex capitulo cathedrali, ad quod

quod nullis nisi nobilibus aditus patet.

Gnesnensem sequitur Leopoliensis, qui secundùm in conventibus regni locum habet; Præter hos quindecim sunt Episcopi, ut regni Senatores, utpote Cracoviensis, Cujaviensis, Vilnensis, Posnaniensis, Plocensis, Varmiensis, Premisliensis, Samogitiæ, Culmensis, Chelmensis, Kioviensis, Luceoriensis, Camenecensis, Vendensis, & Smolensensis recens ab Vladislao IV. ob subjugatum Smolenscum fundatus, sed jam rursus sub Casimiro à Mosco ereptum extinctus.

Omnes hi non exiguos possident reditus, & sunt inter hos qui totis principatibus fruuntur, ut Episcopus Cracoviensis, & Ploscensis ille ducatus Severiensis, hic Ploscensis territorij supremus princeps est, à quo ad Regem nulla datur provocatio, nobiles dicti principatus illius subditi sunt, ut & nobiles ducatus Severiensis Cracoviensē pro superiore recognoscūt.

Capi-

Capitulum Plocense æquales cum suo Episcopo habet reditus, cujus præpositus integrum territorium possidet. Accedit Varmiensis Episcopus in Prussia, qui cum episcopatu principatui imperat, & nobilitatem subjectam habet ab omni regiorum magistratuum jurisdictione exemptam, eodem jure municipali cum Prussis gaudentem. Residet Ep. Cracoviensis Bozentini, Ploscensis Pultoviæ, Varmiẽsis Heilsbergæ. Et quidem inter hos Episcopus Cracoviensis preter quod ducatus Severiensis princeps est, tredecim civitates possidet, cujus capitulũ, quod 36. sacerdotibus constat, tantum, quãtum Episcopus, in reditibus possidet. Vt nihil dicam de abbatiis & monasteriis Cisterciensium Suloviæ, S. Crucis, Slupeciæ, Andreoviæ, S. Basilij in satrapia Plocensi, Benedictinorum in arce Plosci, Seciechoviensi ad ripam Vistulæ in districtu Stencinensi, Canonicorum regularium Czerniensi, Cisterciensium Pocriuniciæ, Scirio, Sulovensi Episcopo Livoniæ loco alimentorũ concessumq́; , Vonchociæ, Coronoviensi in Craina, præmonstratensiũ Hebdoviensi in regione Cracoviæ, Vitroviensi in vicinia Petricoviæ, S. Basilii prope Berecam, Olivæ, Pepliniæ, & alijs, ditissimum solùm illud monasterium attingo, quod ad veterem Sandeciam in satrapia Cracoviensi Moniales Præmonstratenses possident: Quid de Ticinensi monasterio Benedictini ordinis in Ducatu Severiensi sito dicendũ; cujus abbas quinq; civitatum & centum villarum dominus est cum perpetuo Ecclesiæ Cracoviensis Canonicatu. Habes itidem sumptuosissimum monasterium in monte Calvariæ situm, quò ex omnibus vicinarum terrarum locis magna peregrinantium pars convolat.

Quot & quantæ in Ecclesia Cracoviensi præbendæ sint, hinc dijudicare potes; quod in illa, quod rarum est, nocte & die perpetuò cantetur, sacerdotibus in certas Classes dispositis.

Hæ & aliæ pingues Ecclesiasticorum possessiones, ut & horum prærogativa Nobilitati Poloniȩ ansam dedit, ut sub Alexandro Rege Poloniæ illis non solum

lum quæstionem prærogativæ moverint, verum & sub Sigismundo Augusto alias secundo ob nimiam potentiam illis infensa in publicis comitiis non tam externam vim quam Episcoporum tyrannidem reprimendã pronunciaret. Neugebauer in hist. Poloniæ in Sigismundo Augusto R. Pol. quod tamen Starovolscius protestantium (quos ille maximus hostis semper hæreticos appellat) iniquo postulato asscribit, reliquos à suspicione illius petiti liberans.

XVII.

De statu & regimine Poloniæ, ut & Regis illius potestate.

AN Poloniæ Respublica bene constituta sit, ex sequentibus videbis, miraberis mixturam, & non tam Monarchicum, quam Aristocraticum invenies imperium.

Rex Poloniæ Archiepiscopatus, Episcopatus, prælaturas, & quæ sunt aliç eccle-

siasticę dignitates ex capitulis lectis pro lubitu & quidem ex privilegio Pontificio distribuit. Senatores legit, Palatinos, Castellanos, & omnes officiales, sed illos non nisi nobiles & quidem Polonos constituit.

Nobilibus Poloniæ Rex magnum honorem exhibet, & minimum nobilem salutantem resalutat: De nobilis cujusdam capite & fama non nisi in publicis Comitiis judicare potest: Vbi bellum indicendum, fædus cudendũ, tributa & vectigalia vel imponenda vel augenda, leges condendæ, moneta signanda est, id cum consilio procerum & Senatus fit, & tunc Rex, Senatus, & nuncij nobilitatis conveniunt.

Nec vectigalia Regi hæreditario jure cuipiam ex constitutione comitiali Alexandri Regis addicere licet. Colendis principis agris asscriptitij addicti sunt, & de eo, quem sibi colunt, binos grossos Regi dant. Filiarum Regiarum elocationes non ex collectis subditorum sicut alibi, cum regnum electitium sit, sed ex vectigalibus desumuntur. Eccle-

Ecclesiastici & equestris ordinis homines nihil regi pensitant, nisi quod ab aliquot annis Abbates & præpositi monasteriorũ certas pensiones, quas stationes vocant, dare cœperint: Coloni nobilium certum quid pro singulis mansis tribuunt.

Equestris item & Ecclesiasticus ordo à vectigalibus immunis est, modo mercaturam non exerceat.

Equester ordo id etiam privilegium habet quod statis anno temporibus salem minoris quam plebeji emant.

Judex cujusq; satrapiæ cum subjudice & suo collega de privatis nobilium controversiis judicat.

Si sacerdotalis aut equestris cum Regio fundo controvertat, princeps equite aut sacerdote postulante commissarios dat ex illa satrapia, in qua est controversia, & si sacerdotalis sit, Episcopus ejus diæceseos quosdam ex suis recuperatores addit. Sunt & certa oppida, in quibus nobilitati jus dicitur, à quibus ad colloquium, quod est peculiare Palatini consilium quotannis in quavis Satrapia autumni tempore exercen-

ercen-

ercendum, & ab hoc ad Regem in Comitiis cognoscentẽ provocatur. Nullus verò nobilis, quod circa forum speciale est, ex suo territorio evocari potest, nisi illi renunciaverit.

Nobiles etiam ubi rusticum occiderunt, corpus quinq; florenis redimũt, & sic exiguo pretio ex constitutione Sigismundi pæna homicidii se liberãt, ubi verò nobilis à rustico interficitur, hic ordinaria capitis pæna multatur:

Quasi jus divinum in his conditiones personarum respiciat: Solus in Polonia rusticus miser est, qui varijs modis à nobilibus premitur: Et valde rusticorum Sueciæ diversa est ratio, qui in Comitiis cõparent, & libertate suffragij in rebus publicis gaudent.

Sicut Germania in circulos, Gallia in provincias, ita Polonia in Palatinatus dividitur, hi in Castellanatus & districtus, hi rursus in Capitaneatus & præfecturas, easq; duplices cum & sine jurisdictione.

Et quidem præfecturarum sine jurisdictione non eadem est cum alijs præfecturis conditio, possunt enim

oppi-

oppignorari, præfecturæ vero cum iurisdictione ut & cætera regni bona nec alienari nec oppignorari citra sūmam necessitatem & consensum Ordinum queunt. Sola Sendomiriensis singulari quodam privilegio ab omni tam alienatione quam oppignoratione immunis est.

Præfectus autem nihil aliud est, quā custos arcis Regiæ, qui & in plebejos & nobiles in sua præfectura jurisdictionem exercet. Desumitur ex equestri ordine, neq; externo vel regio vel ducali genere orto id officiū committitur. In ea ipsa præfectura, cui nobilis præficitur, agros proprietariè possidere debet, ut nec Palatinatus nec Castellanatus cuipiam concreditur, nisi in ea satrapia, ubi quis fundum & bona terrestria habet. Sicut Aurelius Imp. constituit, ut administratores quartam bonorum partem in provincia possiderent, ubi ex Italia oriundi non essent. Similiter nec duas præfecturas, quis habere potest, uti ex jure canonico nec Clerico duæ citra dispēsationem assignantur præbendæ. Quilibet

libet præfectus habet suum Burgravium, qui tenet custodiam arcis.

Generalis præfectus Cracoviensis est primarius custos arcis, in qua corona asservatur; jurisdictionem latè patentem exercet etiam in nobiles suæ præfecturæ, habet decem burgrafios, qui custodiam arcis tenent.

Præfectus Posnaniensis hac fruitur prærogativa, quod sit Generalis majoris Poloniæ: Ex præfectis nullus Senatum ingreditur, excepto Capitaneo Samogitię, qui solus ex omnium districtuum præfectis ad Senatum admittitur.

Palatini apud Polonos sunt duces exercituum tempore belli, & sunt fere apud suos, quod apud Germanos duces circulorum. Et Palatinus est princeps creatus sui Palatinatus, primarius in ordine secularium Senator, conventus provinciales indicit, ad illosque nobiles suæ provinciæ vocat, prticularibus diætis ut & judicijs sui palatinatus præsidet, ponderum & mensurarum curam gerit, pretia re-

 rum

rum venalium, extra tempus Comitorum & belli in suo districtu ponit, Judicia Judæorum exercet.

Sunt Palatini numero triginta quatuor, inter quos supremus est Cracoviensis, qui tamen in Senatu cum Palatino Posnaniensi alternat.

Castellanatus & Palatinatus sunt relata, & in qua provincia Castellanatus est, ibi etiam Palatinatus reperitur: Et sunt Castellanatus territoria Palatinatus certis limitibus distincta. Castellanus etiam cum Palatino Senatorio munere fungitur, & sui districtus nobilibus præest. Supremus Castellanus est Cracoviensis, qui inter seculares senatores, omnes, etiam Palatinos antecedit.

In uno Palat. ad minimum duo sunt Castellanatus. Sunt numero 83. dividũtur in majores & minores, majores sunt 34. & ad secretissima consilia admittuntur, reliqui non itẽ, inter quos supremus est Sandecensis.

Senatus Poloniæ consistit in Archiepiscopis, Episcopis, Palatinis, Castellanis, sub quibus etiam comprehendimus Capitaneum Samogitiæ, & officialibus majoribus.

Numerantur tam ex spiritualibus quam secularibus una cum Episcopo Smolenscensi, Palatino & Castellano Czernecensi, quos noviter Vladislaus IV. addidit, centum quinquaginta. Habentur Senatores à Rege in magno honore, quos & ad convivium nuptiale quod vel ipse vel illius liberi celebrant, invitat, illosq; in sua præsentia sedere jubet.

Palatinos, Castellanos officiales, totumq; Senatum Rex legit, sibiq; & regno juramento obstringit: Munus senatorium est perpetuum, quo ad vivit quisque, certis annexum magistratibus partim ecclesiasticis partim secularibus: Abrogari nulli potest, nisi per maximam vel mediam capitis diminutionem, sicut in Francia Cancellarius honore privari nequit nisi cum capitis amissione. In renunciandis magistratibus id receptum est, ut non nisi in publicis procerum conventibus renunciari possint.

Officiales qui ordinis Senatorij sunt,

 decem

decem numerantur & appellantur majores: utpote Marescallus regni, Marescallus Lithuaniæ, Cancellarius Regni, Cancellarius Lithuaniæ, Vice Cancellarius Regni, Vice Cancellarius Lithuaniæ Thesaurarius Regni, Thesaurarius Lithuaniæ, Marescallus Curiæ Regni, Marescallus curiæ Lithuan. Marescallus Regni idem fere in Comitiis peragit, quod Marescallus de Pappenheim in diætis Germanorum, in domesticos Regis inspectionem gerit, & in publicis conventibus Regi baculum præfert.

Cancellarius & Vice Cancellarius potestate sunt æquales, nominibus solum & loco distincti: Ille sigillum majus, hic minus custodit: Ambo autoritatem habent Regi contradicendi, si in leges delinquere velit, multa inconsulto Rege signare possunt, illa, de quibus in consilio deliberari debet, proponunt, & ille qui de sacro ordine est, ceremonias circa Regem ecclesiasticas moderatur ex lege enim Poloniæ unum profani, alterum ecclesiastici ordinis esse decet. Vice Cancellarius mortuo Cancell. succedit. In-

Inter officiales regni qui non sunt senatorij ordinis primus est Generalis exercituum regni, & inter officiales aulæ Regiæ Camerarius supremus primas fert, ut & inter officiales districtuum succamerarius.

Sed hic, ut & Pincerna, subpincerna, incisor, dapifer, subdapifer, tribunus, judex, subjudex, notarius, thesaurarius, Venator, equorum Curator, olim satrapiarum erant administratores, hodie nihil nisi titulum possident.

Rex Magistratus & ministeria confert, in judice verò, subjudice & notario nobilitas ejus territorii cujus judex seu scriba decessit, in conventu instituto authore palatino IV. patres familias equites nominat, è quibus Rex unum surrogat. Palatinus item Cracoviensis plebejum magistratum eligere non verò abrogare potest.

Consules plerunque in sex hebdomadas fiunt: Sculteti & advocati, in oppidis vicis & pagis officium hæreditarium est. Exactores tributorum annui sunt.

In judicio & appellationibus com-

muniter ita habetur: A judicijs Magistratuum oppidanorum ad præfectum, & ab hoc ad Regem appellatur. In Masovia, ubi jus Culmense viget, ad Varsaviensem, & hinc ad Torunensem provocatur magistratum. In cæteris Poloniæ partibus, ubi Saxonici juris usus est, olim ad Magdeburgensem Civitatem appellabatur, in cujus locum Casimirus II. vulgo Magnus aliud Cracoviæ judicium constituit, & ab hoc rursus ad judiciũ, quod Sex civitatum appellant, quodq; in arce Cracoviensi, à binis certorũ oppidorũ consulib⁹ ibi convenientibus habetur, provocatio procedit, idq; sine ulteriori appellatione cognoscit. Cracovienses cives hoc fruuntur privilegio, quod ab illorum Magistratu non nisi ad principem provocari possit, & ejus ut & Casimiriensis & Clepariensis urbis caussæ à Rege non nisi Cracoviæ judicentur.

Circa Comitia ita proceditur: Priusquam Rex Comitia indicit, particulares provinciarum conventus præmittit, cum assignatione loci & temporis, quando & quo loco comparere debe-

ant,

ant, in quavis satrapia certum est oppidum, ubi illius nobiles cum officialibus illius tractus conveniunt, & legationem regiam audiunt; Post hæc ad majores conventus proceditur, qui in majore Polonia Coli, in minore Corcini habentur, ad hos Cracoviensis, Sendomiriensis, Russiæ, Podoliæ, Belsensis & Lublinensis sætrapiæ, ad illos vero reliquorum districtuum proceres conveniunt, & hinc ad generalia descendunt Comitia, quorum sedes olim fuit Petricovia, hodie est Varsavia, à qua non nisi justâ caussâ & assentiente Senatu transferri possunt. Non Comparenti ad Comitia Senatori irrogatur mulcta, & nulli in Comitiis Polonicis concreditur legatio, qui litem in comitiis vel aliud quodpiam privatum habet negotium, quod cum antiquis Romanorum institutis & inprimis cum textu in l. 8. ff. de legat. correspondere videtur.

Synodum generalem indicit Archiepiscopus Gnesnensis, & habetur ille plerunque Petricoviæ vel Lenciciæ.

Quicquid decernitur in conventi-

bus

bus & judicijs, lingua latina publicatur, in Lithuania verò vernaculæ usum retinent, prout & Prussia edicta sua Germanico idiomate vulgat.

Separatum à Polonis Prussi consilium habent, distinguuntur hi sacro & profano ordine, & illorum consilium constat ex Episcopo Varmiensi & Culmensi, Palatinis Mariæburgensi Culmensi & Pomeranico, Castellanis Culmensi, Elbingensi, Gedanensi, tribus succamerarijs, & tribus civitatibus Torunensi, Elbingensi & Gedano. Appellatur ab hoc consilio ad Regem. Omnes qui ad dictum consilium admittuntur, juratò servanda promittunt, soli civitatum delegati injurati admittuntur. Episcopi habent tam secularem quam ecclesiasticam jurisdictionem, à Rege designantur sicut in Polonia. Episcopus Culmensis in ecclesiasticis nullum nisi solum pontificem superiorem recognoscit, uti in Germania Bambergensis. Primaria totius Regalis Prussiæ præfectura est Mariæburgum, cui Polonus contra

tra

tra leges Prussiæ à Rege ordinariè præponitur.

Consules civitatum à magistratibus eliguntur, Sculteti verò è numero consulum ejusdem civitatis à Rege desumuntur, consul & Scabinus nemo simul esse potest, nisi Elbingæ & Brunsbergæ. Magistratibus citra Regis consensum nec portum claudere nec aperire licet.

Plebeji hic melioris quam in Polonia sunt conditionis, ligantur iisdem statutis cum nobilibus, sola prærogativa minores, & quod de nobilium statu Solus Rex cognoscat.

Nullus sive plebejus sive nobilis Prussia evocari potest, nisi ratione administrati officij.

Vtitur Prussia jure Culmensi, nisi quod Elbinga, Brunsberga, & Fraumburgum jure Lubecensi utantur, quod cum paucis contineatur capitulis, illo deficiente ad jus Saxonicũ sive Magdeburgense indeque ad Romanum accurrunt: Leges quasdam Sigismundus Aug. Rex Prussiæ

Regiæ

Regiæ ut & Gedanensi civitati dedit.

Varmienses gaudent suis particularibus statutis. Et sic hi plane à Polonia diversum jus habent, gaudet enim illa suis constitutionibus à Casimiro Magno factis & à Johanne Alberto & Alexandro auctis. Lithuani præter id jus Casimirianum particulares habent consuetudines, inter quas hæ notam merentur: Judex decimam partem rei judicatæ ab actore innocente tanquã mercedem capit, Homicidium non capite, sed pecunia plectitur, Res furtivas apud alios inventas Judex non Domino restituit, sed sibi asserit. In Prussia quotannis Comitia celebrantur bis, Majo Mariæburgi, Septembri Toruniæ. Varmiensis Episcopi subditi nihil cum comitijs commune habent, quod inter se concluserunt, ad diætam referunt

Vid eamus jam an commoda commercia Polonia habeat. Commerciorum utilitas in hoc consistit, ut terra quid habeat, quod exportari, & cum alijs mercibus commutari possit. Exportatur siligo, triticum, hordeum, avena

avena, linum, lupulus, sebum, alutæ, mel cera, pix, asseres, herba tingendis lanæ & serico idonea, equorum, boum, & vervecũ magna vis vicinis suppeditatur.

Et hæc sunt quæ Polonia alienis terris ministrat. Ex sale magni regi reditus sunt, foditur apud Bochnam & Vieliscam in satrapia Cracoviensi, ut & apud Haliciam Colomesam, Solum, & alia complura Russiæ loca; Sunt etiam in confinio Osviecimensis territorij & Scepusij aquæ salsæ. Vt & in desertis Podoliæ & Borysteni vicinis locis lacus est, cujus aqua ardore solis in salem concrescit.

Pauca metalla habet Polonia, & Solæ Cracoviensi satrapiæ præter Sendomiriensem talia possidere contingit, plumbi nimirum & argenti apud Ilcusiam, Slavcoviam, Severiam, & Novagoram, æris atq; auri apud Novotargum, & in montanis circa Sandeciam, nitri apud Visliciam, vitrioli apud Beciam, cupri & carbonum ad ignem fovendum aqud Tencinum, Chalybis apud Podoleneciam, ferri simplicis apud Olstiniam. Quod

Quod commercia Poloniæ attinet, illa Dantiſcani per exportationem, & Armenij per importationem mercium augent. Principales Poloniæ nundinæ habentur Jaroslaviæ & Lublini.

XIIX.

Quid judicandum ſit de Electoris Brandeburgenſis tranſitu ad Regem Sueciæ.

QVando princeps in eo ſtatu eſt, ut vel uni vel alteri aſſiſtere teneatur, bene ſecum ponderet, cui aſſiſtentiam promittere cogitat, & inprimis eo reſpiciat, an ille cui aſſiſtere tenetur illi damnum reſarcire poſſit, & an confæderatus vicinus ſit, à quo prompto poſſint impetrari auxilia, ne onus belli in ſe ſolum devolvat. Sic Julius Papa cum contra Ludovicum XII. Regem Galliæ Henricum VIII. Rex Angliæ aſſiſtentia urgeret, recuſavit ille,

ille, cum à Papa, cujus territorium ab Anglia longe diſſitum eſſet, eo caſu quo à vicino Gallo infeſtaretur, nihil auxilii ſperare poſſet, ubi Gallus in Italia vinceretur, ſe ut vicinum deinde bello turbari. Explorandum etiam eſt ingenium confœderandi, an ille omnia ſolus ad ſe rapere conſueverit, an ingenia populi in aliquo cõformia ſint, ſi enim poſt factam confæderationem & armorum coadunationem inter ſocios diſſidia oriuntur, res periculoſa eſt, & ſic ſæpius evenit; quod tunc à fædere diſcedatur & ſocio nihil quam onus belli relinquatur: Prout evenit Ferdinando Regi Arrogoniæ cum Rege Angliæ & Papa Julio contra Regem Galliæ confæderato, hi cum concluſiſſent Bajonam armis eſſe oppugnandam, interim Ferdinandus regnum Navarræ ſubegit, adeoque mutanda conſilia ſuaſit, Angli in conditione ſemel facta perſeverant hinc ob mentum diſſidentiam rupto fædere Angli Ferdinandum bello gravatum relinquunt. Guicc. lib. 11.

Pro-

Proſpiciat etiam ſibi, ne tali ſe aſſociet, qui auxilio proprio contra fæderatum utatur, ſic circumventum legimus Guidonem Vbaldum, Ducem Vrbini, cujus cum Cæſar Borgia filius Alexandri VI. Papæ ſub ſpecie obſidendi Camerini rogata auxilia impetraſſet, illis contra mittentem uſus, dictum ducem omni ſuo ducatu & terris exuit. Tarchagnota delle hiſtorie del mõdo lib. 22. part. 2. Guicc. lib. 5.

Vbi vero quis cujusdam vaſallus eſt, contra quem eo modo militare cogitur, ut alteri aſſiſtat, conſultum ducit Neumayr à Ramsla in ſuo tractatu de Neutralitate c. 8. ut ante omnia de tali aſſiſtentia quam contra dominum præſtare ex neceſſitate ſtatus & pro conſervatione terrarum cogitur, illũ certiorem reddat. Sic Paulus IV. Pontifex maxime Octavio Farneſio ſuo vaſallo iraſcebatur, quod citra illius conſenſum Imperatoris ut ſui adverſarij partes adſumpſerat. Suadet tamen hic alleg. author, ne vaſallus offenſivum ſed ſolum ſui aſſiſtentis defenſivum bellum ſuſcipiat, & ſi offenſive procedere

dere

dere velit, illud potius pecunia quam milite fieri debere, quidam conſultius ducunt, id enim ſimulate & tectè magis expediri poteſt. Et promiſſâ aſſiſtentia videat, ne omnes ſuas vires aſſiſtens in illud auxilium vertat, ſibi quid in omnem caſum quid reſervet, ut & à ſuo ſocio ſecurus eſſe poſſit, politici ſaniores ſuadent.

Quod hæc omnia Elector Brandeburgenſis obſervaverit, nullus dubitat, ille cum Poloniam armis Suecicis Regis Caroli Guſtavi infeſtari, adeoq; etiam ſibi vel unius vel alterius partis amicitiam neceſſariam fore videret, rem diu trutinavit, & pro polonis ut illorum ratione Boruſſiæ vaſallus ſtare decrevit, militem legit, aliquoties invaſiones Suecicorum in ſuis terris expertus, dolebat fere totam ſubjugatam à Suecis Poloniam, & taliter Regem illius exhauſtum, ut ab illo nullum ſperare potuerit ſubſidium, pro ſalute itaq; Boruſſiæ partes Suecorum aſſumpſit, eo neceſſitate ad actus, & ſi forſan ulterius ſe oppoſuiſſet, vim expertus, poſtea cum jactura terrarum

 peſſi-

pessimas inire conditiones coactus fuisset, in tempore itaq; obvenire, seq; suaque cum coadunatione armorum Sueciæ subjecit, si felorcæ à Polonis accusabitur, necessitate & amore conservandæ propriæ salutis & nec immeritò se tuebitur, sed inquis, ergo illi non offensivum sed solum defensivum fædus & bellum fuisset permissum, forsan id fecisset, si talis conditio Suecis arrisisset, quibus cum non placuit, in illorum arbitrio res magis quam ex Brandeburgensium electione stetit, conformarunt itaq; in hoc se Suecis Brandeburgenses, & quidem eo lubentius quod conditiones feudi Borussiæ nimirum per talem coadunationem meliorarunt. Elegit itaque partes Sueci, à quo, licet res male caderet, semper auxilia ob viciniam Pomeraniæ & Livoniæ sperare poterit, firmat illam amicitiam religionis, linguæ & morum conformitas, quæ in fæderibus ubi res communi consilio, ope, & milite peragitur, plurimum valet.

XIX.

XIX.

De antiquo Gedanensium versus Reges Poloniæ studio.

GEdanum Pomerellæ Vrbs à Regibus Poloniæ libertate & variis decorata privilegiis hoc inter sua præcipua habet, quod sessione Comitiis Polonicis & suffragio in electione Regis gaudeat, in suo territorio alta & bassa jurisdictione fruitur, leges & statuta condit, monetas aureas & argenteas cudit, suis collectis, tributa, exactiones liberè imponit, dimidia parte vectigalium, reliqua dimidia ad Regem spectante, fruitur, nec ultra obulum præter antiquam consuetudinem se à Rege gravari patitur, quod sub Vladislao IV. cum ille plus solito à quibusdam navibus exigens vellet, satis docuit. Liberum habet Lutheranæ, Calvinianæ & Catholicæ exercitium. In magna Polonorũ licentia licentius vivit, hoc tamen elogio præ aliis maximè fulget,

 quod

quod suis Regibus ab antiquo semper fidelis manserit, quod non solum in bello Polonorum contra Gustavum Adolphum Regem Sueciæ clarum fecit, verum etiam in moderno disturbio abundanter docet. Si Antiqua repeto, eandem in Gedanensibus constantiam invenio, in primis in bello à Polonis contra Albertum Marchionem Brandeburgensem magistrum crucigerorum gesto, in quo fortiter pro Rege suo pugnarunt, & hoc tum temporis salubre consilium Sigismundo I. Regi Poloniæ suppeditarunt, ut licet ille undiq; hostibus Tartaris nimirum & Moscis in regno suo cinctus esset, omnia prius in Polonia, relinqueret, quam Prussiam tot præclaris urbibus, portibus, commerciis illustrem, & multo Polonorum sanguine acquisitam perderet. Iidem Gedanenses cum in bello crucigerorum à Germanis año 1520. obsidione premerentur, extrema potius pati, quam per deditionem à Polonia avelli voluerunt. Connivent aliquando etiam Reges Gedanensibus, sciunt enim, quid Gedanum

danum Polonię proficiat, hinc cum ob reformationem religionis varii tumultus Gedani orirentur, Sigismundus I. R. P. an. 1525. ad compescendos tumultus, & cives in officio continendos, se in multis ad illorum gustum aptavit, permisit tum illis & depositionem antiqui Senatus, & reformationem eo solum fine, ne Gedanenses offenderet, permisit. Nec ignorant hi, quod sub nullo Rege liberius vivere, & detractis Polonorum Commerciis diu florere non possint. Inprimis Suecorum imperium reformidare videntur, cum illos vectigalia maximè augere non ignorent, qui, quod in privatorum commodum redundare posset, in publicum vertunt.

XX.

Quid judicandum sit, de communi illa loquela, quod quidā ex plebe omne Poloniæ in fortunium & modernæ devastationis caussam-

ſam in Caſimirum reſiciant, punitum nimirum à Deo, quod antea Cardinalis ſpreta eccleſiaſtica dignitate ad ſecularia redierit, quod fratris Uladislai præmortui Regis viduam uxorem duxerit.

DVrum quidem eſt, in prohibitos affinitatis gradus peccare, durum item eſt, ſemel Deo dicatum votum frangere, ſed ſi ex hoc unius vel alterius Regis infelicitatem judicabis, falleris, inprimis ubi diſpenſatio Pontificis, quæ omne inter Pontificios peccatum abolet, Caſimirum comitetur. Et licet leges non exempla regulam conſtituant, quia tamen hîc in hiſtorica narratione verſamur in eodem propoſito duos tibi Reges Poloniæ ejuſdem culpæ accuſatos, & quidem ſui temporis feliciſſimos proponam.

Ratione voti fracti eccleſiaſtici notiſſima

tiſſima

tiſſima eſt hiſtoria Caſimiri I. Regis Poloniæ, ille Lutetiam Pariſiorum ſe contulit, & cum omnia in Polonia turbari audiret, Italiam petiit, ibique Cluniaci Benedictinorum Monachorum ſodalitati ſe addixit, Poloni Rege deſtituto & per ſexennium variis defatigati tempeſtatibus de rege repetendo conſilium ineunt, Cluniacum petunt, & ſuum Caſimirum jam Decanum factum de aſſumenda Poloniæ corona ſollicitant, ille voto eccleſiaſtico ſe excuſat, illoſque ad Benedicti IX. diſpenſationem remittit; Poloni Papam adeunt, ab illo impetrant, ut Caſimiro ad paternum regnum redire liceat, ſed adjecta conditione, ut de ſingulis capitibus exceptis Nobilibus & eccleſiaſticis quotannis obulus unus in lucernam perpetuo in æde divi petri Romæ arſuram pendatur, qui etiamnum denarius S. Petri appellatur, omnes Poloni rotunda Monachorum tonſura utantur, nec ultra aures comam nutriant, & ut feſtis ſolennibus dum ſacra peraguntur, equites fa-

ſciam linteam album in modum ſtolę è collo ſuſpenſam ferant, Voti compotes facti Poloni ſuum Caſimirum reducunt, illumque Gneſnæ Coronant, qui poſteà feliciter regnavit.

Et quid de Sigismundo Auguſto dicendum in cujus fortuna nihil deſideratur? Nunquid ille in ſimili affinitatis gradu matrimonium iniit, duxit ille poſt fata Barbaræ Radiviliæ Catharinam Auſtriacam Ferdinandi Imperat. filiam, primæ conjugis Eliſabethæ Sororem germanam.

Rex hic glorioſos de ſuis hoſtibus duxit triumphos, & ſuos tranquillè gubernavit, ut ita ſupradictum vulgi axioma in memoratis exemplis falli exinde perſpiciamus.

CONCLUSUM
inquo

Rationes Suecorum ratione moderni belli Polonici, & Polonorum exceptiones

nes brevi deductione lectori ob oculos ponuntur.

QVot ecclipſes, quot mutationes, Polonia à vicinis ſuis antiquitus paſſaſit, præſens diſcurſus docet, & qualem hodie miſeriam experiatur, omnibus innoteſcit. Rara vicinorum eſt concordia, & qualẽ quis vicinum habeat, multum refert *l. quod ſæpe §. fin ff. de contrah. empt.*

Et mala vicini pecoris contagia
lædunt,

Nec fruſtra Eraſmus in proverbiis ait,

Aliquid mali propter vicinum malum;

Vicinia Romæ Carthaginenſes, Spartanorum Meſſanios, Reipublicæ Venetæ Lombardicas civitates ſuppreſſit. Aut pauperem, aut divitem vicinum habes: pauper tuæ felicitati invidet, dives hydropicum agit,

Quo plus ſunt potæ, plus potiuntur aquæ:

Hic tuis inhiat, ſic raro ſecurus es. Incommoda viciniæ etiam inter alios

Poloni à Suecis senserunt. Illi cum jam à Moscis & Cosacis afflicti essent, præter opinionem arma Suecica in terris suis stupuerunt. Si caussam hujus belli quæris, illã tibi Cyriacus Trasymachus in scripto ad Andream Nicanorem ostendet, & defensionem Polonorum anonymi cujusdam responsio exhibet. Sueci justitiam sui belli quod contra Polonos gerunt, in his ponunt.

1. Quod postquã Sigismundus Rex Poloniæ regno paterno ob mutatã religionem, assumptum equestrem ordinem aurei velleris, desertam patriam, deturbatus esset, hinc bellum an. 1598. ortum, & inter Sigismundum illiusque filium nomine Carolum ab una, & Gustavum Adolphum R. Suec. ab altera parte hinc quam inde magis feliciter gestum fuisset, Sueci licet victores sæpius pacem quæsiissent, quam à Polonis nunquam obtinere potuissent,

2. Vtpote qui Piasecio ipso scriptore Polono testante semper in necem Suecorum conspirassent, imo Regem nũquam ullum pacis cõsilium observasse prout etiam.

3. æquas

3. æquas pacis conditiones à Suecis propositas susq; deq; habuissent, quæ conditiones fuerũt de restituenda Polonis Livonia excepta civitate Riga, quam Sueci, usque dum de pace conventum esset, suæ securitati servare voluerunt, ut &

4. Eo casu, quo Rex Gustavus Adolphus improlis decederet, unus ex Sigismundi Regis Poloniæ filiis cum spe regni Suecici Estoniam & Finoniam possidere deberet, æquas has esse conditiones nec adeò alto à Polonis debuisse sperni supercilio

5. Polonos nõ amore pacis, sed quasi vi & cũ omnia fere perdita viderunt, eò adactos, ut primùm inducias quinquẽnales ann. 1629. cum Suecis invito semper & renuente Sigismundo Rege Poloniæ concluserint, renovatas has inducias an. 1635. usq; ad viginti sex annos idq; singulari suo studio, quod ut eo melius toti orbi aperiretur, se omnia Prussiæ occupata loca Polonis ut antiquis suis possessoribus restituisse, conclusas has inducias durare debuisse usque ad annum 1661, sed primum à

Po-

Polonis violatas justam reassumendi belli caussam suppeditasse.

6. Inducias in hoc violatas, quod Rex Poloniæ Casimirus in mandatis legatis suis ad conventum ratione pacis utrinque Lubecæ indictum & institutũ datis contra conventionis tenorem titulum & insignia Regis Sueciæ usurpaverit.

Quod 7. in induciis cautum fuerit, ne Poloni nec per se nec per alios contra Suecos durantibus induciis quid tentare debeant, contra quod pactum Poloni egissent, dum regente in Polonia Vladislao & fervente bello Germanico Cæsarianis ut Suecorum hostibus, qui ductore Botio non solum Livoniam infestarunt, verum & sub præfectura Cracovii Pomeraniam invasissent, transitum per poloniam cõcessissent, contra Suecis tum Imperiales persequentibus viam occlusissent, & Cracovio arma & tormenta ex castro Putzkiano subministrassent.

Quod 8. Vladislaus Rex Poloniæ, dum à Danis insula Oesel in tractatu pacis

pacis Suecis cedebatur, illam ad se trahere, illiusq; incolas per Camerarium suum nomine Bergium ad rebellionem concitare conatus fuerit.

Quod 9. Casimirus modernus Poloniæ Rex contra induciarum pacta militiam navalem Dantisci & in mari Balthico tenuerit.

Quod 10. in induciis conventum fuerit, ut Regiis titulis Vocabulum ET CÆTERA subnectatur, quod in credentialibus legato Polono nomine Morstein ad Carolum Gustavum modernum Sueciæ Regem misso concessis omissum fuisse conqueruntur.

11. Ita Polonos per tales induciarum violationes Suecis frangendæ treugæ occasionem dedisse, cum frangenti fidem fides servanda non sit:

12. Cujus rupturæ non solum Regem Poloniȩ, sed & status Regni, quod tacendo dictas violationes approbaverint, accusant.

13. Partes Polonorum fuisse, super memoratis quȩ acciderunt, excusationes

nes suas interponendo, juxta induciarum pacta commissionem in finibus Livoniæ instituendam petere.

14. Vbi rationem status considerare velint, dum tota fere Polonia Moscovitarum spoliis exposita fuit, è re Suecorum fuisse, regnum Poloniæ occupando, Moscovitas à longinquo arcere, horum viciniam Sueciæ noxiam reputant, adeoque prævenire quam præveniri malunt, cum inprimis æquitati naturali conforme sit, ad arcendum domus propriæ incendium vicini ædes intercidere, sive eò ignis pervenerit, sive non l. si quis 40. §. 1. 2. ff. ad L. Aquil.

Hæ sunt Suecorum rationes; ad quas Poloni ita excipiunt.

1. Suecis Regem suum Sigismundum solio deturbare non licuisse, illos per talem deturbationem alimenta bello dedisse, Carolum Sigismundi patruum ut coronæ Suecicæ procum ignem hunc excitasse, nec Polonis quid imputari potuisse, quod sua repetierint.

2. Sigismundum variis literis ad Gu-

Gustavum Adolphum sub dato 2. Jun. 1613. exaratis pacificam suam intentionem satis declarasse, nec legationes Canazilio & Morsteinio concreditas, & ad modernum Regem Sueciæ expeditas aliud quid sapere.

3. & 4. Conditiones de restitutione Livoniæ, & eventuali filiorum Regis Sigismundi in Estoniam & Finnoniam successione melius placuisse, si perductæ fuissent.

5. Suecos primum inducias violasse, imo etiam in omnium gentium jura peccasse, quod bellum citra legitimã denunciationem prout hodie ita etiã an. 1621. gesserint, & ut in priore bello occasionem qua Sigismundus Turcico fuit implicitus bello, Rex Gustavus Adolphus captârit, ita & justum tempus status Polonici diuturno Moscovitico & Cosacico bello plane enervati bene observaverint, minus Christianum esse afflicti afflictionem augere.

6. Non invidendũ esse Regi Poloniæ, quod titulum Regis Sueciæ ab antecessorib. hæreditario nomine in se derivatum suis insigniis & mandatis in-

inserat, de cujus omissione nihil plane in induciis anno 1635. cautum fuerit.

7. Quod Cæsareanorum transitum per Poloniam concernit, illum jure divino nulli denegari posse, imo & Botium clam & ignorantibus Polonis per Prussiam & Curlandiam in Livoniam irrupisse, Cracovium vero vi exercitus per Poloniam majorem sibi viam parasse, cui ob defectum castrorum & promptæ militiæ transitus non adeo facilè impediri potuisset.

8. Vladislaum circa insulam Oesel nihil aliud fecisse, nisi quod cum adhuc dicta insula à Dano possideretur, antiquum suum jus Poloniæ ab antiquo in insulam competens deduxisse, nec hoc redundare in perniciem Sueciæ, cum nemini faciat injuriam, qui jure suo utitur.

9. Quod Rex Poloniæ dum militiam navalem in mari Balthico tenuit per hoc induciis nō derogaverit, quarum sensus & verba eò collimant, ne Poloni naves in mari Balthico contra Suecos pararent, adeoq; cum militia Sue-

Suecis non nocuerit, hostilitatis accusari non posse.

10. Omissionem vocabuli ET CÆTERA adeo parvi momenti esse, ut nullam considerationem mereatur, Regum non esse verba aucupari, & circa vocabula ludere.

11. Axiomatis illius veritatem disputant, quod frangenti fidem fides servanda sit, firmiter ex Grotii fidelissimi Suecici ministri tractatu de jure belli & pacis asserentes.

12. Nec Regem nec status Poloniæ ullius culpæ reos, sed potius Suecos culpandos esse respondent, quod anno 1637. Generalis Panier majorem Poloniam devastaverit, ita inducias citra ullam caussam frangendo.

13. Gravantibus & sic Suecis ut actoribus non reis commissiones petere solenne esse, illos omnem amicabilis compositionis viam semper declinasse, cum nec Canazilium nec Johannem Morstein ut Legatos Poloniæ modernus Rex unquam admiserit. E-contra quam cupidi pacis Poloni fuerint, exinde patere, quod antequam

primæ induciæ conclusæ fuerunt, Andreas Przyiemski, Georgius Pose & Smogoleki ut Poloniæ legati Stetinum ut locum tractatui destinatum venerint, ibiq; diu Suecos frustra expectaverint, utpote qui omnes tractatus reformidârint, metuentes nimirũ hujus quæstionis resuscitationem, an nimirum Sigismundum ut natum Sueciæ Regem ita ejicere licuerit, & an Carolus pater Gustavi Adolphi Regis Sueciæ juramenti sui observans dici possit, quod à Sigismundo Rege, à quo investituram Ducatuum Sudermann, Norick & Vermeland accepit, semetipsum Regem constituendo, defecerit, sicq; naturalia patrui jura & civile subditi debitum violaverit.

14. Alieni regni miseriam subsidium non invasionem postulare, boni Christiani fuisse afflictos erexisse, non majorem afflictionem addidisse, ad avertendam Moscorum tyrannidem & suspectam viciniam auxilio justi exercitus non invasione opus, & in incendio vicini ædes quidem intercidere, sed nõ invadendo occupare licitum esse.

Et

Patriæ Suæ

ILLUSTRIS REIPUBLICÆ FRANCFURTANÆ,

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS VIRIS

DNN. PRÆTORI, CONSULibus, Scabinis, Syndicis, & toti Senatorum ordini.

S. D.

GErmanus ego hãc Poloniam Nov-antiquam in theatrum duxi non quod externis me immiscere vel regnandi & vivendi leges Polonis præscribere velim, sed

 quod

quod ad superiora tempora recurrere illaq; modernis applicare non adeò incongruum sit. Historica hæc sunt Politicis intermixta, & quomodo antiqua tempora cum moderna Poloniæ facie se conforment, Lectori ob oculos ponunt, abditum quid recondentia, ex quo causas conservandæ Reipublicæ Lector satis haurire poterit: Nec apertè hic quid res sit, ostendo, quod Principum, non privatorum est. Pictorem Timanthem antiquitas celebrat, quod illius opera plus abditi sensus quam picturæ contineant; Et in tali scribendi genere multa paucis & quidem tectè comprehendenda sunt, judicio cuivis libero relicto, ne altius quid scriptio sapere videatur. Ridiculum est, quod de belli Polonici justitia & injustitia omnia fora, omnes tabernæ perstrepant: Ridiculum est, quod infimum & quod Horatius ambubajarum genus vocat, quod vix balbutire didicit, in publicis congressibus, assumpto Rhinocerotis naso mox pro Polono, mox pro Sueco sententi-

am

JOHANNIS THEODORI

Pol

ANTI

Poloniæ

turb

C

Et sic minus justam status rationem Suecis patrocinari concludunt, Suecorum unicam curã esse ajunt, in turbida aqua piscari, & vicinorum bonis inhiare, Suecos tempore Christierni I. se Danorum imperio subduxisse, subductos amore habendi stimulatos Danis insulam Oesel & Gotiam, Polonis Livoniam & Estoniam, Moscis Finoniam & Careliam, Germanis optimam Pomeraniæ partem cum civitate Wismariensi, insula Ruga, ducatu Bremensi & Verdensi extorsisse, & jam plus ultra spirare, Regnum Poloniæ concupiscendo, exemplo Pompeji Magni, qui Parthorum Regi postulanti, ut Euphratem fluvium Romanæ ditionis terminum esse vellet, ita respondit; illud magis esse postulandum, ut Romanorum fines à Parthorum regno justitia dirimat, significans, Romanis non esse pręscribendum, quousq; proferre imperium velint, à quo propugnando non montes non flumina debeant arcere, sed ibi demum fore fines Romanæ ditionis, ubi jus non esset ulterius procedere.

Hæc ſunt, quæ inter Polonos & Suecos ratione moderni belli tam agendo quam excipiendo moventur, judicet jam de juſtitia cauſſæ, qui voluerit, uterq; populus Deum & enſem judicem expectat: Ubi ad antiqua recurrimus, ex eventu bonitatem cauſſæ non dijudicandam animadvertimus, ſæpius injuſtiſſima bella optimos exitus ſortiuntur, & quatuor monarchiæ magis vi & dolo quam juſtitia creverunt: ſua retinere privatæ domus, de alienis decertare regiam laudem eſſe, inquit Tacitus & juxta Philoſophum Carneadem ſi Romani iniquè ablata reſtituere debuiſſent, ad caſas redire coacti fuiſſent, teſte Lactantio l.5.c.17. Aliquando etiam per populos divino juſſu excitatos mali pro peccatis ſuis perduntur: ſic propter Divinæ majeſtatis offenſam ſubactum Judæorum populum legimus, ſic Deus T.O.M. per filios Iſrael peccata Amorrhæorum, & Chananæorum punivit, illorumq; terram Iſraelitis poſſidendam in dedit: uti virga pueros, ita bellum Reges & populos domit. Hiſce vale, & de Regum cauſa in particulari judicare cave.

INDEX CAPITUM.

tot exercitibus devastata, tot hostibus defatigata, jam alios suo exemplo cautos facit, quidq; bona & mala Respublica sit, in sua historia docet. Nec hoc primum est quod convulsiones patiatur, tales tum ab antiquo mutatis solum personis sæpius experta.

Cui discursum dedicarem, diu deliberavi, propinquiores quam vos, Illustres viri, non inveni; Domicilium originis prout immutabile ita necessariam dedicationis caussam mihi ministrat, inprimis cum materia publici Juris sit, & publicis nuncupanda personis. Accipite hoc igitur quicquid est, & æqui boniq; consulite, Dabam Francofurti ad Mœnum 4. Cal. Novemb. 1656.

V. M. N. & A.

Observantissimus

J. T. S.

am dicant, quasi ab Apolline Regum judices constituti. Apud Locrenses lex fuit, ut pœna afficeretur civis, qui in foro interrogasset, QVID NOVI, quod si hoc edictum in nostro seculo reiteraretur, quis à pœna immunis esset? sed interim & his ignoscendum, qui de modernis turbis Polonicis sollicitè sæpius se informant, qui ex Barbarorum irruptione mala quævis nostræ Germaniæ somniant, si perfractis repagulis Polonia Tartarorum & Moscovitarum imperio aperiretur; Quid de illorum vicinia sperandum sit, nullum fugit; Cupiditas horum populorum ingeniis innata, ubi facultas & vicina potentia accedit, in vicinos suos sæva & crudelis evadit. Sunt etiam inter Novellistas, quos Commiseratio Poloniæ tangit, dum jam afflictam terram magis affligi, incolas usq; ad triarios excuti, omnia susque deque verti cernunt, nihil etiam humani à se alienum putantes. Nec desunt, qui miseriam illam Polonorum propriæ culpæ attribuunt, quod illi intimum

Status ministrum ViceCancellarium Radziwski ignominiosè habuerint, & per talem magno viro injectam contumeliam causam dederint, ut offensus in Sueciam furtivo itinere se proripuerit, ibi Suecis omnia Polonorum arcana revelando: Sic contemptus eorum qui magnos spiritus gerunt, nec arcana Imperii ignorant, in dubitatum Reipublicæ malum post se trahit. Non aliam ob causam
Sueton. in Calig. Cassius Cheræa in C. Caligulam conjuravit, quam quod ab eo pro effœminato haberetur; Sic Narses Cæsaris Justini in Italia Legatus Sophiæ Augustæ verbis contumeliosis irritatus Longobardos gentem germanam ex Pannonia in Italiam evocavit, qui majorem ejus partem ultra ducentos annos tenuerunt sic Nicolaus Campo-
Comin. bassæus Neapolitanus Carolum Burgundum ob alapam sibi ab eodem impactam vita spoliavit. Nec, quos quis semel in partem curarum vocavit, postea despectui habere ex bono & æquo status ministri judicant.

Quicquid sit, gemit hodiè Polonia tot

XX.

FINIS.

Hist. Polen

a, gener